

1682.

1. Albinus, Bernhardis : De venenis.
- 2<sup>a</sup>, b, c. Hoppius, Fractim : De edaci locustarum pernicie
3. Hoppius, Fractimus : Regule impersonalium
4. Hoppius, Fractimus : De compensatione fractum cum impensis.
- 5<sup>a</sup>, b, c. Hoppius, Fractimus : De iaco. 3 Sept 1682, 1702

1742.

- 6<sup>a</sup>, b. Rheijs, Dr. Rides : De febris Chilensis vel Latphantierum more concessis.
7. Schulze, Petrus : De solutione particulari
8. Stykias, Samuel : De collatione sacerdotum.
9. Stykias, Samuel : De alienatione rerum alij.  
bonorum civitatum.
10. Stykias, Samuel : De obligatione principis  
ex facto ministeri.

11. Strytius, Samuel: De suspitione.
12. Strytius, Samuel: De concursu expectatio*n*al  
generalis et specialis
13. Ussimus, Sim. Christphl: Discursus juxta Diem  
ricon contractum mentati et societatis
14. Ussimus, Sim. Christphl: Delicia et laudificio.
- 15<sup>a+b,c,d</sup> Ussimus Linus Christphl: Quaeatum mercificium  
Germ. Haren-Lahn. -- publice dispensendum proponit  
4 Scenfl. 1662 & 1737
16. Vchr, Frenaeus: Delirium ex ventricale

1  
BIBLIOTHECA  
VITAE  
S. JACOBUS MEDICUS  
CONFESSOR  
ADIVTATOR PAPÆ  
SUB PESTIS  
SANCTA MARIA ALBINA  
PATRONA FACTORI ET PROCTORI SEL  
Publico Emissaria  
AD XII. JANUARIUM CHRISTIANUS  
CHRISTIANUS

letter from

impassioned

action from

33 East 10th St. New York

Oct 17 1912

Dear Mr. Garrison

Mr.

post office

one consideration

but you are

the person

476v.

2. D. B. V.

1682, 26

3

70

# DISSERTATIO JURIDICA DE EDACI LOCUSTA- RUM PERNICIE

AD

L. Excepto tempore. 18. C. d. Locat. & Cond.

QVAM

ANNUENTE DIVINA GRATIA

CONSENSU ET AUTORITATE

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRI VIADRINA

SUB PRÆSIDIO

Dn. JOACHIMI HOPPI. J. U. D.

IN AUDITORIO JCTORUM

DIE MARTII. ANNO M. DC. LXXXII.

*Horis Confuetis*

*Publicæ Eruditorum disquisitioni subjiciet*

GUSTAVUS MARTINI,

COTB. LUSAT.

AUTOR ET RESPONDENS

Edit. altera.

---

JENÆ, Typis Viduae Mullerianæ.

ED  
S. S.  
E

DIESER LATEINISCHER  
DISCOURSUS

EADÆ LOGISTÆ  
RUM PERNICIE

EXCEPTEO LEPORIS CROCIS & CROCIS

VIRGINIS ET PEGASUS GRATA

MAGNIFICIO DOLORUM ORDINIS

AVANTIA TERRA VERA

DISCOURSUS

MILOTH OF SETH IN

ALLEGORIA SILENTIUM AG

DISCOURSUS

COLLECTUS

DISCOURSUS

DISCOURSUS

DISCOURSUS

DISCOURSUS

DISCOURSUS

DISCOURSUS

DISCOURSUS

DISCOURSUS

urn:nbn:de:gbv:3:1-371579-p0010-0

# PRÆFATIO.

Vti malorum ubique lata seges, ita lata segetis innumera ferè mala. Sæpius largæ spes alit agricolas, non raro tamen fallit eadem & decollat. Inter os & offam quoque intervenit sape, quod non speraveras; Quid non metuendum, si in herbis adhuc frumentum sit, antequam lata messis accessura. Divina vis plus, quam tolerabile est, (tolerandum tamen omne quod à Deo est) quandoque ludit fructus, l. 26. §. 6. ff. locat. Concurrunt non raro cœli vitia, l. 8. C. locat. Lues sc. tempestatis, d. l. 8. vel tempestas calamitosa, l. 15. §. 2. ff. d. t. Accedit solis fervor, uredo, tabes, terra motus, d. l. 15. §. 2. demum & immoderate nives, l. 78. §. ult. ff. d. contrah. emt. Verùm nec cœli temperiem tantum incussemus, & ab hominibus segeti sua imminent mala. Nam & latronum incursum, l. 34. ff. locat. ut & hostium transitus, etiam exercitus, l. 15. §. 2. ff. eod. non leve damnum inferunt. Fluminâ quoque damnis inferendis inserviunt, d. l. 15. §. 2. Quorum vim utinam his mensibus non experti essent vicini populi, vel tantum experti essent in agris, non verò in edibus, tanquam bominum strage vix unquam bisoriis nota. Que mala omnia sperat am segetum latitiam quam maximè contrastantia nondum sufficiunt, sed plura adsunt, non leviora quidem, licet à levioribus animalculis illata. Adsunt rauca, adsunt

graculi, absunt sturni, qui majorem sapè frugibus vim inferunt, quam cui resisti possit, teste Ulpian. in d. l. 15. §. 2. Nec omittenda hic LOCUSTÆ, quarum edax planè perniciens est, ad induendum sterilitatis vitium l. 18. C. Locat. Earum enim quantavis sit, proxima estate nos docuit triste Vicinorum exemplum, ubi latissime segetis jam instans messis tristissimo aspectu edacitate Locustarum perimebatur. Et Civitas hac nostra nubem se conspexisse credebat, cum volantes eas adverteret. Occasio inde nobis suppeditata, non quidem excommunicationis fulmine vibrandi locustas, quod quidem faciendum credidit Chassanæus, JCtus Burgundus, in Conf. 1. sed jura conductorum, aliorumque edacem Locustarum pernicem percessorum, inquirendi. In quem finem L. excepto. 18.  
C.d.locat.exercitii academici loco hic proponimus.

Faxit Deus, ut felicit  
ter!



L. Excepto. 18. C. d. Locat.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM. AA. Amno.

Excepto tempore, quo EDACI LOCVSTA-  
RVM PERNICIEsterilitatis vitium interces-  
sit sequentis temporis fructus, quos tibi juxta præ-  
teritam consuetudinem deberi confiterit, redditu  
bi Praeses Provincia jubebit.

MEMBRUM I.

*De*  
**SENSV LEGIS**

I.

T nobile detur suscepto auspiciū, non abs re erit, si prius exteriora proposita legis, situm sc. & inscriptionem expenda-  
mus, quam interiora, & ex his desumram Rubricam disputationis nostræ considere-  
mus. Quod situm attinet, seu sedem, eam  
habet apprimè sibi convenientem: Agit e-  
nīm de remissione pensionis, ob damnum  
à Locustis datum, conductori facienda, ut  
adeo non potuerit sub alio, quam factum,  
titulo, *de Locato nimirum & Conduōto*, commodius locari.

II. Acceptit verò hunc suum situm ab excelsō viro Triboniano,  
alisque in iure versatissimis, quibus à Justiniano commissum Constitu-  
tiones Impp. competentibus supponere titulis, uti constat ex *Const. Cor-  
dinobis. S. 2. d. Emend. Cod. & S. 1. & 2. Constit. d. Nov. Cod. far.* Quā  
in re æternam meruerunt hi prudentissimi LL. nostrarum diribitores  
laudem, ob multiplicem, quam adeo prudens digestio afferit, utilita-  
tem. Hinc enim non raro animus colligitur Legislatori, fanusque  
& genuinus eruitur textuum sensus. Ita si una Lex alteri videatur con-  
traria, illi potius standum, quæ in sede collocata est ordinaria, quam  
qua incidenter fortean in loco aliquo proposita, quales Leges Fugi-  
tivū dicere Dd. conservaverunt. Vid. Jac. Cujac. l. 3. Obs. 37. Sic ubi Lex

A 1

varia,

varias recipit lectiones, illa prefetur, quæ adaptatur Rubricæ. Joh. Kleinschmid. in *Præcogn. Jurispr. Tr. 4. Sect. ii.* Et in genere à Rubro ad nigrum & vicissim argumentari licet, ut pluribus testatum fecit Nicol. Everhard. in *Topic. Legal. Loc. de Rubr. ad Nigr. & novissimè Excell. Dn. D. Linck. in duab. Dispp. de Rubr. & Nigro.*

III. A situ progredimur ad Inscriptiōnem: Nam & hæc utilitate suâ non destituitur, dum multū perinde conferit ad planiorem alicuius Legis intellectum, de quo pluribus Johan. Wolffg. Freymon. in *Symphon. Jur. utriusq. Chronol. in pref.* Continet verò Inscriptio duo: Et personas constituentes, & eum, ad quem Constitutio scripta est. De ultimo non opus est, ut prolixè simus solliciti. Scire enim quis ille fuerit Annus, seu ut Charondas legit, Annus, usum non habet. Concludere tamen hinc licet, qualemnam speciem Constitutionis referat lex nostra; quia ad preces supplicantis est est directa, procul dubio Epistola erit, arg. §. 6. f. de J.N.G. & C. quales plerasque rē Leges Codicis esse, in aprico est.

IV. Dubium hinc oritur: An nostra lex fit generalis pertineat, que etiam ad alios conductores? Quod omnino affirmandum; Quamvis enim olim, fatente Duaren. de *Cond. indeb. c. 6. f. 909.* non usquequam vim Legis habuerint Rescripta, neque aliter adducta fuerint, quam hodie solent res judicatae in Supremis Curiis; post Justinianum tamen vim generalis Constitutionis obtinere, palam est ex d. §. 2. *Constit. de Nov. Codic. fac.* remanente solum differentia Rescriptorum & aliarum Legum in ratione interpretandi. Quæ enim ad speciem propositam accommodata, non semper continent generales juris definitiones, sicut Leges Digestorum & textus Institutionum. Hillig. ad *Donell. L. i. c. 9. lit. d.* Unde argumentum ex Imp. Rescriptis à contrariō sensu desumptum, item ab inclusione unius ad exclusionem alterius & è contrariō, valde est pericolosum, de quo admodum metuendum, ne si concedatur, certissimæ atque extra omnem controversiam positæ juris nostræ Regulæ pleræque subvertantur. Joh. Harprecht. ad §. 25. I. de R.D. n. 96. & 97. & ad pr. I. *Quib. mod. re contr. n. 30.*

V. Constituentes seu Autores Legis fuerunt DIOCLETIANVS & MAXIMIANUS, prout ex lege 17. præcedente clarius constat. Ille ob expulsos Tyrannos *Jovius*; Hic ob fortia facta *Herculius* fuit salutatus. Christoph. Pezel. in *mellif. Histor. Part. II. sub. Dioclet.* Ille, Patre ignobili natus & obscuro, post Cari & Numeriani obitum,

anno

70

anno Christi 284. pervenit ad Imperium , teste Scaliger. de Emendat.  
Tempor. & insigni Chroñologo Dionys. Petav. in Ration. Tempor. Part.  
2. Libr. 4. Cap. 9. Add. Baron. in Annal. & Philipp. Camer. Cent. 3. Horar. subcfr. cap. 2. Hic anno 285. Diocletiano II. & Arisfobulo Coss. à  
Diocletiano in Imperii consortium est receptus , non aliò fine ,quàm  
quia se tanto oneri imparem animadvertebat , ut Maximianus varia-  
rum drovinciarum imminentes seditiones pacaret , & pax ubique eo ci-  
tius Imperio Romano redderetur. Erat enim hic fortis pariter ac  
strenuus Vir , reique militaris peritisimus. Hoc modo tantà unani-  
mitate ambo sceptra tenuerunt , ut idem sémper voluerint , idem no-  
luerint : Unde factum , ut utrōque tempore & belli & pacis fuerint fe-  
lices : Nam & armis ubi opus , decorata , & Legibus armata erat Imper-  
atoria. Majestas pr. Prooem. Inſt. Cujus rei evidentissima hinc inde in  
Historiarum monumentis prodita sunt testimonia , & radiant ubique in  
Codice nostro , p̄eprimitis hoc tit. Locat. Illorum constitutiones , inter  
quarum plurimas , quas omnes refert Joh. Wolfg. Freymon. in Sym-  
phon. Jur. ob insignem æquitatem meritò nostra Lex est conspicua.

VI. Unicum tamen est , ob quod probri non immeritò sunt in-  
cusandi , immanem puta crudelitatem , quàm ultimis Imperii annis vehe-  
mentissimè prosequi cooperunt innocentes Christianos. Ejusmodi e-  
nim cœcū Gentilium fervor non potest ullā aliquā ratione probari.  
Tam dira vero fuit hæc persecutio , quæ aliarum præcedentium DEI  
gratia ultima fuit , ut bac tempeſtate , utar verbis Sulpit. Sever. L. 2.  
Histor. Sacr. c. 32. Omnis fere sacro Martirum cruento orbis infelix fu-  
erit , quippe certatim gloria incertamina rubeatur , multoq; avidius tum  
Martyria glorioſis motibus quærebantur , quàm nunc Episcopatus pravis  
ambitionibus appetuntur. Neque tamen potuit Christianorum cœtus  
extirpari , sed potius majora indies ex tantà Tyrannorum fævitia coepit  
incrementa , de quo vid. Micræl. in Syntagm. Histor. Eccles. Lib. 2. Qu.  
27. in fin. Unde pertatius Diocletianus vitæ honorumque , postquam  
ille 20. annos solidos , uno minus hic Remp. admiuistrassent. Conf.  
Petav. d. libr. 4. Cap. 9. in fin. & cap. 10. Et post hoc tempus , teste Halo-  
andrō , Seniores dicti sunt Augusti.

VII. Subscriptionem nostra lex non habet , unde iterum quæſio  
moveri posset: An propterea effectus Legis ei sit denegandus ; Quod  
non putamus : Ipse enim Imperator quando jubet Constitutionibus  
addere dies consulesque in §. 2. de Conſtit. d. Nov. Cod. fac. reſtringit  
hoc

hoc suum mandatum ad eas constitutiones, quæ in tribus veteribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano, dies & consules habere inventæ sunt. Neque l. 4. C. de divers. Rescript. hoc in genere vult, ut quævis Rescripta die atque Consule carentia, careant quoque auctoritate, add. c. Dicenti. vers. Si quas. caus. 25. qu. 2. Loquitur enim de Rescriptis solum gratiæ, seu beneficiis personalibus, quæ cum periculo obreptionis subjaceant, subscriptionem requirunt. B. Brunnenm. add. l. 4. Aliud vero obtinet in rescriptis generelibus, quæ in Corpus Juris suntrelata: nam hæc etiam sine consule & die adscripto firmiter subsunt, per express. text. in d. §. 2. Conslit. de Nov. Cod. & §. 3. Conflit. de Justin. Cod. Confirm. Jac. Cujac. in Paratitl. Cod. d. tit. de Divers. Rescript.

VIII. Sequuntur nunc interiora Legis nostræ, ejus sc. verba & genuinus ex his intellectus. Quæ ut eò distinctius proponamus, in duas partes Legem præsentem dividimus. Prima continet Jus Supplicantis respectu mercedis, ad quod consequendum Præses Provinciæ auctoritatem interponere debet; Verba hæc sunt: *Sequentis temporis fructus, quos tibi juxta præteritam consuetudinem deberi constiterit, reddi tibi Præses Provinciæ jubebit.* Secunda hujus juris comprehendit Exceptionem, verbis: *Excepto tempore, quo edaci Locustarum perniciterilitatis vitium intercesserit.*

IX. Explicabimus primum primæ partis verba, quamvis ultimum in Legi nostrâ acceperint locum. Occurrunt ibi initio hæc: *Sequentis temporis fructus.* Fructus à ferendo, vel potius fruendo dictus, Autor est Varro L. 4. de Latin. Lingv. quia rebus, quæ fundis hominum esui usuique producit, fruimur. Franc. Connan. in Comment. Jur. Civil. L. 4. C. 1. n. 2. Nec JCtis videtur hæc vocis delineatio ignota, ut patet ex l. un. ff. *Quand. dies ususfr. leg.* Adeo late enim apud hos extenditur hujus verbi significatum, ut omnem denotet utilitatem, redditum, lucra & commoda, non ex ipsa re tantum, sed & occasione ejus provenientia. l. 21. in fin. cum l. 24. ff. de Edil. Edil. l. 59. §. 1. ff. de Uſufr. l. 59. ff. de Petit. hered. l. 62. ff. de R. II. l. 4. §. 2. & l. 6. §. 6. ff. si servit vind. Inde vulgata oritur fructuum distinctio, in naturales & civiles: illi etenim, qui ex ipso rei corpore proveniunt, hi vero sunt, qui occasione ejus extrinsecus parantur, nec natura pervenire, sed iure percipi dicuntur l. 61. ff. de R. V. de quibus omnibus prolixius vide Dd. ad §. 25. Inst. de Rer. Div. ad quos in hac re brevitatis ergo me remitto.

X. Quæ-

20

X. Quæritur vero hinc, de quibus fructibus nostra lex intelligenda, num civilibus, an naturalibus? De naturalibus eam communiter capiunt Dd., quia hi proprie fructuum nomine veniunt, l. 121. ff. de V. S. quod quamquis impugnare nolim, non tamen video, quare non etiam de civilibus posse intelligi, ita ut fructus hic idem significant quod pensiones. Largius enim loquendo etiam mercedes locatum pro fructibus accipiuntur. I. Prædiorum. 36. ff. de Uſufri. l. 19. in fin. pr. ff. cod. l. 29. & 27. §. ff. de Hored. petit. Wiſlenb. ad d. l. 121. ff. de V. S. Confer. Ilic. Umm. ad Process. Disp. 21. t. b. n. 2. Taceo, quod hac ratione facilior redditur textus, aliisque difficultatibus via præcludatur, cum quo consentire videtur *Gloss. ad b. l. lit. p.*

XI. Præsupposito tamen, fructus naturales hic intelligi, ulterius hinc dubium oritur: An de contractu vero in nostra Lege agatur, an vero de alio aliquo negotio innominato? Pensio enim hoc modo in fructibus consistenter, cum tamen juxta naturam contractus Locati conducti in pecunia numerata consistere deberet arg. pr. J. de Locat. Cond. l. 1, §. 9. ff. Deposit. l. 5. §. 2. ff. de Prescript. verb. l. 1. §. ult. ff. Mandat. Verum uti hoc ultimum non semper in locatione verum, ita omnino dicendum, de vero & nominato Contractu Locati in hac lege agi. Distinguendum enim inter locationem operæ, i. e. faciendi, & inter locationem rei, i.e. fruendi: Illa præcise pecuniam numeratam mercedis loco requirit, de quo allegati text. explicandi; Hæc vero quamvis aliam quoque admittit rem fungibilem: Et ad hanc pertinent omnes Leges, quæ de fructibus, aliisve rebus fungibilibus mercedis nomine præstans loquuntur, uti l. 8. C. Locat. l. 1. ff. Olei. 21. cod. & l. 35. ff. cod. sicut & nostra l. 18. Conf. B. Brunnen. ad d. l. 21. Cod. n. 2. in fin. Dn. D. Stryck in Annot. ad §. 2. I. de Locat. ubi rationem diversitatis ex Hillig. ad Donell. Libr. 19. C. 6. ht. 1. pluribus exponit.

XII. Neutquam igitur veterum J. Ctorum opinio probanda, qui de Contractu innominato, do ut des hanc Legem sunt interpretati, quasi scilicet hoc inter partes actum fuisset, ut alter eorum pro fructibus quotannis perceptis certam mensuram fructuum singulis annis præstaret: Hi enim ad hoc credendum ex communi errore sunt seducti, quasi merces non nisi in solis nummis in locatione consistere posset, quam sententiam etiam tuerit Hahn ad Wesenb. Tit. Locat. n. 6. Pariter nec Giphanii ad noſtr. L. interpretatio admittenda, ac si hic non de



**Locatore ageretur, sed Conductor qui vellet repetere fructus à Locatore,**  
re, quos ipse Locator perceperet, quosque ideo conductori restituere  
teneretur, exceptis ejus anni fructibus, quo ob edacitatem locustarum  
agri fuissent steriles: Nam verbis textus hoc quodammodo adversum,  
longe probabilius, Locatori, qui fructus vel mercedis nomine promis-  
tos vel pensionem à Colono perebat, hoc rescriptum esse datum, præser-  
tim cum rarius contingat, ut Locator agros alii elocatos posideat, eo-  
rumque fructus percipiat.

**XIII.** Sed remanet hoc modo dubium, quid sibi velit verbum:  
**REDDI**: Dicitur enim in Lege nostra: *Sequentis temporis fructus REDDI tibi Praeses Provincie jubebit?* Ad quod breviter reponimus: Vo-  
cabulum, Reddere ambiguum esse & vario modo accipi & que apud ju-  
risconsultos ac alias probatos Latinæ Linguæ Authores. Proprie qui-  
dem significat retro dare, & quod accepimus, restituere; recipit ta-  
men etiam per se dandi significationem; verba sunt Celsi in l. 21. in si. de  
*Legat. 2.* Illo modo à verbo dare differt, quorū pertinet, quod Ja-  
volenus habet in l. 39. §. 2. ff. de stat. lib. ubi in casu ibi proposito reddi  
magis, quam dari dicitur pecunia: Sic Cicer. in libr. Offic. inquit: Duo  
sunt genera liberalitatis, unum dandi beneficii, alterum reddendi;  
Hoc vero modo idem est, ac dare: Hinc qui reddere jubetur, etiam  
simil dare jubetur, dicitur in l. 100. ff. de Legat. 2. Add. l. 94. ff. de V.S.  
Ibique Goedd. & Alciat. n. 1. Eodem sensu venit in l. 52. ff. de R. V. ob  
quam causam notatur à Petr. Corn. Brederod. in Lex Jur. vov. Reddere:  
Sicut & in nostra lege 18. hoc modo accipitur, ut adeo sensus sit:  
*Sequentis temporis fructus vel pensionem dari, Præsidem jubere de-  
bere.*

**XIV.** Additur autem: *quos tibi juxta præteritam Consuetudinem, deberi consenserit*, quibus verbis ad qualitatem respicitur fructuum,  
vel etiam ad quantitatem, quam mercedis nomine exigebat locator.  
De utraque ex præterita consuetudine judicandum, vult Legislator,  
ita ut si hactenus loco mercedis frumentum nitidum v. gr. triticum  
&c. pro fundo locato fuerit solutum, solvatur quoque imposterum à  
præfenti Conductor; Vel si ante hac certa quantitas fructuum fuerit  
præstata, v. gr. decem modii frumenti, tot quoque & tantum præste-  
tur sequentibus temporibus. Adde Bald. ad nostr. Leg. n. 2. Præsuppo-  
nit itaque hic casus, ubi de certa & determinata mercede non erat  
inter

70

inter partes conventum , sed postea desuper lis movebatur inter locato-  
rem & conductorem , in cuius decisione , ut præterita consuetudo ob-  
servetur , respondet Imperator , ob quod singulare & alibi in jure non  
occurrens , textum hunc bene notandum esse monet Bald. d. l.n.i.

XV. Sed dixeris , hoc modo non poterit locatio dici facta in  
nostra lege , cum haec semper requirat certam mercedem l.36. §.1. ff. &  
§.1. f. de Locat. l. 8. C. eod. uti Emilio certum pretium , §. 1.I. & l.1 ff. de  
Contr. Emi. Iisdem enim juris regulis confitentes dicuntur hi contra-  
ctus pr. I. de Locat. & l. 2. ff. eod. Verem differentia hoc in passu est in-  
ter Emitionem & Locationem :Emilio enim non valet , quamvis res emta  
ex loci consuetudine , vel ex conventionis tempore certum pretium habeat . Pinell. ad Rubric. Cod. de Refind. Vendit. P.2.C.3. n.3. Add. Ge-  
org. Frantz. ad ff. Tit. de Contrab. Emi. n. 250. & seqq. Locatio vero , si  
res fuit solita locari certo pretio , valet , utut postea simpliciter fuerit  
facta , nulla mercede definita , arg. L.37. ff. de Contr. Emi. Nam con-  
suetu haec tenus merces tacite repetita & locatio pro illa facta censetur  
ut ex nostra Lege probant Antonius Gometz Tom. 2. Variar. Resol. Cap.  
3. n. 4. Gail. 2. Obs. 23. in fine. Adde Eckholt. ad ff. tit. de Locat. §. 2. in  
fin. Gloss. adverb. Consuetud. in nostr. L. Menoch. Lib.3. Pref. 87. Man-  
tic. de Tact. & ambig. conv. L.5. tit. 2. n.5. Dissentit Hier. Treutl. Vol. I.  
Disp. 29. ad Pand. th. I. lit. f. Quod quidem in locatione , qua temporaria est , & fere paucorum annorum esse solet , tanto magis proce-  
dit ; quatenus tunc minus locatori præjudicatur , in emtione vero ven-  
ditione , cum res vendita in perpetuum transeat , & illius tota substanc-  
tia semel uno pretio astimetur , obtinere nequit. Frantz. ad ff. Tit. de  
Locat. Condit. n.74. & 75.

XVI. Subjicitur denique , quis assistere debat supplicant , quo  
effectum habeat Rescriptum , i. e. ius suum seu fructus lequentis tem-  
poris consequatur Locator. Hic est Preses Provinciae , cuius appellatione  
in genere etiam Proconsules & Legati Cæsaris , omnesque provincias  
regentes , licet Senatores sint , continentur. l. 1. ff. de Offic. Pres. Inspec-  
cie vero solum veniunt ii , qui à Princepe ad certam aliquam provinciam  
regendam erant misi. Brunnem. ad Wiesemb. d. Tit. qv. i. quorum impe-  
rium in sua Provincia majus erat omnibus leg. 4. ff. eod. & l.8. ff. de offic.  
Procons. De omnibus enim causis , quæ Romæ varios Judices habebant ,  
cognoscebant. l. 10. & 11. ff. de offic. Presid. & ut breviter comprehen-  
dam , hoc ubique curabant , ut pacata & quieta esset provincia l.3. & 13. ff.

*cod. Nov. 17. C. 2. Confer. D. Böckelm. ad ff. Tit. de Offic. Praesid. Guther. de Offic. Dom. Auguſt. L. 2. c. 2. & seqq. Jac. Gothofr. in Notit. Dignit. Cod. Theod.* Talis igitur Praes erat etiam ille, cuius mentio facta in nostra Legge, cui ideo haec causa committebatur, ne Locator sibi ipsi permisum crederet ultiōem, contra l. 14. C. de Iudeis & Celic. l. Extat. 13. ff. quod met. caus. l. un. C. Ne quis in sua caus. Add. D. Joh. Grack. Tr. d. Autorit. privat. proam. n. 2.

XVII. Et haec de sensu Legis nostrae quantum ad primam partem: Descendimus nunc ad secundam in Lege nostra primo loco positam, quæ, uti *ib. 8. dictum*, Exceptionem continet illorum, quæ modo sunt exposta. Offerunt se hic prima fronte verba, quæ Rubro hujus Disputationis aptavimus, & quorum nunc reddenda ratio. Primum est vocabulum EDAX, quod descendit à verbo *Edo*, Græc. ἐδω, vescor, seu ἐδεν juxta antiquos, cum quo convenit Saxonum illud: Eten. Denotat verò illum, qui largiore cibo uti consuevit, seu qui multum edit, der fräsig *ist* / ein Bielstraf. Illis enim, qui actione aliqua frequenter gaudent, solet latini sermonis nativus lepor ejusmodi verba in ax definitia accommodare. Sic Mendax dicitur qui crebro mendacium dicit: Loquax, qui multa verba facit. Idem in aliis.

XIX. Hinc jam per similitudinem aliis etiam rebus, quam Glotonibus & voracibus, vocabulum Edax applicatur: Sic *edax* dicitur *currus*, *edax triremis*, quia videlicet currus multum absumit ungvinis, sive aromatis, vel quia sumptuosa res est, equos & currus alere, quia item triremes magnis constant impendiis. Eodem modo tribuitur Locustis, quippe quæ per singularem divini Numinis potentiam insatiabili pastu atque inexplicibili devorandi natura sunt instructæ, & dum iram Dei referunt, quod patet ex *Devt. cap. 28. v. 38. magnoque numero* incedunt, maximas strages edunt. Petr. Greg. Tholos. *Synt. Iur. Univ. L. 31. c. 1. §. 2.* Simon Majol. *Dieb. Canicul. de Dignitat. humin. lit. c.* Omnia enim frumentorum genera lambunt, detondent, depascunt, vastant ac corrumunt, ut ex Arnob. refert Jacob. Cujac. *Obs. lib. 15. c. 28.* Adde Frantz. *Histor. Animal. Sacr. de Locustis.* Hinc dira Locustarum dicitur voracitas apud Hieron. Magon. in *Decij. Florent. 67. n. 12.* ipsæque Locustæ devastantes. *d. Decij. 67. n. 16.*

XIX. Dicuntur vero LOCUSTÆ, ut harum quoque originem nunc subjiciamus, vel à longus & hasta, ob longos, quos habent, pedes

26

pedes hastæ non absimiles. Isidor. *in fin. lib. 12. vel a loco & stare*, quia non solent uno loco diu stare, sed hinc inde subsilire; *vel etiam quod verius puto, à loco & usus*, quia usserunt agros, ubi fuerunt, i.e. opreserunt, male affecerunt, sic habent sedis beschwert: Hoc enim modo *urere hominem*, dicitur apud Terent. *in Eunuch. Act. 2. sc. 2. v. 43.* cruciare eum, ægre illi facere: Sic apud Florum *libr. 2 cap. 6.* Ablatum mare, capta insula &c. *urere* dicuntur nobilem populum, i.e. dolorem & cruciatum ei adferre. Quin ipsum frigus, quia maxime affligit, quandoque plane enecat, *urere* dicitur, ut patet ex *Liv. lib. 40.* ubi de Hyeme dicit, quod arbores qua obnoxia frigoribus fuerunt, deuferit cunctas. Adde Cicer. *11. Tuscul. Ovid. 13. Trist. Eleg. IV.* ut adeo non immerito de loculis quoq; quodurant, prædictetur.

XX. Accipitur autem nomen Locustarum varie, variisque rebus accommodatur. Sic pisces aliquando denotat maximum bina ante oculos cornua aspera longa habentem, Belgis dictum Steuer, Krabbes quasi torvus sit carabus. Plin. *lib. 9. c. 30. & l. 32. cap. 11.* ibique Massar. De quo ferunt, quod in tantum pante Polypum (pisces à pedum multitudo sic dictum ein Vielfuß / eine Art von Rüttelfisch) ut si eum juxta videat, omnino moriatur. Aristot. *Libr. 4. Histor. Animal.* Add. Plutarch. *Qn. Natur. p. 916.* Nonnunquam certum genus designat herbarum, de quo Martin. *Lex. Pbilol. b. voc.* Antiquum quendam Criticum hac voce uti pro instrumento adversus incendia comparato, qvōd altissime aquam exprimebat, cuius generis etiam erant hamæ & dolabrae, de quibus in *l. 3. §. 3 ff. de Prefect. Vigil.* testis est incomparabilis ille Adrian. Turneb. *l. 19. Advers. cap. 23.* Nobis nullo ex his modo venit, sed breviter significat insectum aliquod terrestre, frugibus imprimis perniciosum, de quibus rescripsisse Imperatorem in nost<sup>r</sup> Leg. res ipsa loquitur.

XXI. Et hujus insecti occasione vox Locustarum multis aliis rebus analogice & metaphorice in sacris literis applicatur. Sic quando ingentem numerum hostium describere vult Propheta, dicit: *Obruere hostibus ut locustis.* Nahum. *3. 15.* Et paulo post vers. *17.* optimates & Principes Nominum comparantur Loculis, quia sc. instar Locustarum, aliorum opes exedunt, ut notat Osiander *ad d. 1.* Ita Hæretici sub locustarum nomine venient Apocal. *9. v. 3.* de quibus & aliis allegoriis, ne nimium prolixii hic fiamus, Theologi sunt consulendi. Vid

Dn. M. Gotthilf Treuer. Ecclesiæ h. Archi-Diaconus in Tract. Germ.  
de Locustis cap. 1.

XXII. Appellationes Locustæ recipient varias in variis lingvis.  
Sic sola Hebraica decem nominibus eas insignit , quæ relata vi-  
de apud M. Treuer. d Tr. Cap. 2. horumque origines apud Paul. Cræli-  
um in Bibl. In Græca lingua communiter Locusta dicitur ἀνέψιος Matth. 3.  
v. 4. quia summitatem & extremitatem spicarum & plantarum corrodit.  
*Amos 7. v. 1.* Apud nos solet appellari Eine Heuschrecke ab Heu &  
Schrecken / quod vocabulum antiquum est , & subsilere significat. Add.  
Matth. Martin. in Lex Philol. b. voce. Ubi enim morantur , saliendo  
se de loco in locum movere solent. Hinc aliqui Saxonum illas dicunt  
Sprengeln / vel equolos saltantes Springperdecken / quamvis non  
possit negari , differentiam quandam inter hæc animalcula esse , de qua th.  
27. b. membr. Locustæ enim Germ: die Heuschrecken / non solum sal-  
tant , sed etiam avium instar volant , uti de iis quæ in Africa sunt , testa-  
tur Scaliger. de subtil. Ex. 192. n. 1. Et de illis , quæ præterito anno 1681.  
vicinas regiones vastarunt , observatum est à plurimis. Tanta enim  
multitudine in altum se contulerunt , ut lucem fere ademerint intuenti-  
bus , quemadmodum ipse hic Francofurti die 17. Julii d. anni observavi.

XXIII. Cæteroquin à Scriptoribus , multis aliis nominibus de-  
scribuntur. Ita Plinio Ira deorum. l. 2. c. 19. Pestis. Franz. de Locust.  
Aliis Tempetas , calamitas aliis: item supremi Numinis milites , quibus  
Deus singulariter ad compescendam hominum malitiam uritur. Tur-  
matim enim se congruunt. Tusch. Concl. 439. n. 5. & hinc inde castra lo-  
cant , quoties id Deo placet. Joel 2. v. 25. Quod perspicue patet ex ex-  
emplo , quod refert Sigismund von Birken/ im Spiegel der Ehren  
des Erzhauses Osterreich lib. 3. cap. 5. p. m. 315. cuius autoris verba , cum  
non in omnium manibus sit , hic adscribam , dicit autem ita : A no  
1335. ist gedächtniswürdig der verderbliche Kriegeszug der Heuschre-  
cken / welche von Orient oder Morgen her durch Polen / Bömen und  
Osterreich das Reich übersassen / wie Aventinus diese Schilder-  
ten beschreibt / so hat ein jeder 6. Glüdel und Zähne die da glänzten  
wie Edelsteine. Sie flogen so dücke in der Luft daher / das sie  
als Wolken die Sonne verdeckten / und Schatten machten. Sie  
schickten allemahl ihren Vortrab einen Tag voraus / der muste  
gleich

gleichsam vor das Heer Quartier machen / und den Ort aussuchen /  
da sie sich lagern / oder wie man es heute zu Tage nennt / campiren  
wollten. Welches Wort sich wohl zu diesem Heer Zug reumet /  
weil es ein Krieg war wieder die Felder derer Lach und Gras /  
Bluth und Saat Blätter und Kräuter von diesen Gästen zur Beu-  
te gemacht und abgesetzet worden. Sie waren gleichsam in Re-  
gimenter abgetheilet / huben sich mit aufgangener Sonne und  
fielen erst um 9. Uhr auf die Erde. Marggraff Carl in Mähren /  
wolte einsmahl ihr Lager abz rcken / und fand in der Breite 33000.  
Schritte oder 3. teutscher Meilen / aber die Länge konte man in ei-  
nen Tage nicht abreiten. Im Winter verkrochen sie sich auf  
Wiederkommen / und vñ geschahen 4. Sommer nach einander etc.  
Wiss sie endlich mehrtheils von denen Störchen / Raben / Gey-  
ern und Alstern aufgeschlucket / die übrigen aber durch einen dicken  
Schnee erstickt worden / so geschehen Anno 1338. am nächsten Tag  
nach Luca den 19. Octobr. wie folgende Verse so ihnen damals zur  
Grab. Schrift gestellte / andeuten :

M , tria X , tria C , post octo , venere cicadæ ,

Quas nive , mox truce postravit lux altera Luca :

Cujus mali hæ locustæ fuerint tunc temporis prænunciæ , vid. apud.  
Eund. Huc pertinet quod Plin. lib. 8. c. 29. refert , olim civitatem  
quandam ab hujusmodi locustarum genere fuisse in Africa pullam , ob  
quod allegatus a Gothofr. in Not. ad Nostr. leg. 1. lit. n. infin. Plura  
alia reticeo.

XXIV. Præter hæc etiam Vates sæpius solent nominari , & di-  
vinatrices , non ac si ipsæ idoneæ essent aut divina ista virtute præditæ ,  
ut quicquam hominibus prædicere possent , absit enim ut parvulis his  
animalculis ut vilissimis insectis hoc tribuamus , quod hominibus ipsis  
denegatum , sed quia Deus his tanquam signis solet portendere futura  
mala , hominibus obventura , ni seriam & veram egerint pœnitentiam ,  
cum quo convenit quod etiam hostes dicantur peccantium. Exod. X.v. f.  
Psalm.78.v.47 & Ps.105. v.34. Vid. Bibl. Paral.

XXV. Quæritur vero hic occasione vocabuli ἀκρόδος , cu-  
jusmodi in tb. 22. mentio facta , an Johannes Baptista veras Locustas  
seu ejusmodi insecta , de quibus hacenus egimus , in deserto comedenter?

Absti-

Abstinerem hac quæstione , utpote à jure aliena , nisi à magni nominis  
Jētis , Cujacio scil . in Paratit . de Gland . Leg . & Wissenbach . ad ff . Di-  
spur . 37 . tb . 19 . incidenter ejus rationem habitam viderem . Diversam  
vero hi duo Doctores fovent opinionem & cum iis multi alii inter se .  
Quidam enim stare nolentes Vulgate versioni Matth . 3 . v . 4 . ubi ἡγε-  
δες Interpres Locustas dixit , legerunt εγεδες , quo ipso bellaria de-  
signare voluerunt in oleo & aqua cocta ; Alii summitates arborum in-  
terpretati sunt ἡγεδες , quorsum inclinat Cujac . d . c . Nonnulli voce  
Locustarum peculiare genus piscium seu cancerorum intellexerunt ,  
de quo Scaliger . de Subtilit . Ex . 245 . n . 2 . Adde optime de hac uni-  
versitate meritum Jodoc . Willich . in Tract . suo Physico , ob antiquitatem  
merito laudando de Locustis n . 3 . Quæ omnes opiniones non aliunde  
nata , quam quod nescirent illarum auctores , variis olim locis locustas  
terrestres fuisse pro cibo , hodieque esse . De quo cum ex Mose Lev .  
11 . 22 . Plinio , Plutarcho , aliquisque Scriptoribus abunde constet , vix du-  
bium remaneat , veras comedisse locustas Johannem : Consentient  
Gerh . Joh . Voss . de Idololat . Gentil . l . 4 . C . 78 . Abrah . Scultet . in Exer-  
cit . Evangelic . Libr . 1 . cap . 15 . Wissenb . d . l . tb . 19 . & plerique alii do-  
cti .

XXVI . Illud tamen non negaverim , diversas forsitan fuisse  
locustas , quibus instar cibi usus est Johannes cum aliis populis , qui inde  
εναριθόφαγοι dicti ab illis , qui nobis in his locis innotuerunt : Nam  
& illæ , quæ nostras terras diversis temporibus infestarunt , non unius  
semper fuerunt formæ . Aliquando enim majores , aliquando minores  
fuisse constat ex Annalibus : sic quæ anno 1542 . in his oris fuerunt ,  
digiti magnitudinem non excellerunt , ventres tamen obesos mali odoris  
habuerunt . Quas Polonia vidit anno 1527 . colore fuerunt aureo & ca-  
no , pluribusque quam duabus alis instructæ . Quibus Regio Medio-  
lanensis anno 1556 . infestata ad usque dimidium spithame longæ fue-  
runt . Et quis omnes qualitates , quas omni tempore hæc insecta ha-  
buerunt , enumeraret ?

XXVII . Patet ex his , non posse ob diversitatem accurate satis  
describi locustas . Quamvis , quantum ad scopum nostrum , satis sit  
ex edacitate & pernicie quam , cujuscunque etiam generis fuerint , fru-  
gitibus adferunt , illarum naturam determinuisse . De his enim & non  
alii in hac Lege agi in propatulo est . Quid attinet locustas virides  
vel

90

vel cicadas , quales quotannis in agris nostris habemus , & ætate voce stridula canentes audimus , vulgo dictas *Sprengeln* / illæ in aliquibus quidem conveniunt cum locustis insolitis , unde haud raro cum iis confunduntur & uno nomine dicuntur *Heuschrecken* ; differunt tamen in eo quod parum detrimenti frugibus afferant , cum solum in gramine degant , & pruina sive rore contentæ sint , quorsum referendus locus Hesiod. in *Scut. Herc.* vers. 393. Locustæ vero , quarum nostra lex minit , fructus & segetes in tantum adurunt & consumunt , ut sterilitatis inde vitium sequatur . Et de his capiendus esse locus Plinii in lib. II. *Histor. Nat.* c. 19. ubi , cum ejusdem fere generis locustæ describantur , quales præterito anno hic vidimus , placet exemplo Go hofred. ad nostr. Leg. lit. u. illum hic adponere . Ita autem s' habet : Deorum ira . pestis hac intelligitur : namque & grandiores cernuntur , & tanto volant pennarum stridore , ut alio alites credantur : solemg. obumbrant , sollicito spectantibus populis , ne suas operiant terras , sufficiunt quippe vires , & tanquam parum si maria transisse , immensos tractus permeant diragunt messem contingunt nube , multa contactu adurentes , omnia vero mortu erudentes , & foras quoq. tectorum . Huc usque Plinius .

XXVIII. Restat ultimum Rubri vocabulum , nimirum PER-NICIES , quod est à perneco , significatq; nihil aliud , quam exitium vel interitum , eine endliche Verderbung / oder ga h! cher Ab ruch. vid. pr. J. quib. alien. lic. Hunc enim adferunt locustæ . Nam ut ait Scaliger de Subtilit. Ex. 159. n. 1. maria transvolant , non ut homini venenata vulnera infligant , sed integris nationibus ex fame mortem , ex factida corruptione lethalem atque inevitabilem pestilentiam . Reliqua in *Lege nostr.* verba adeo clara sunt . ut ulteriore non indigeant explicatione .

XXIX. Inde nunc facile est de sensu hujus legis judicare , qui hic est : Præses provinciæ jubeat , ut conductor locatori pensionem vel fructus , mercedis seu pensionis nomine promissos exsoluat , pro illa quantitate & qualitate , qua haec tenus vel aliis conductoribus vel ab hoc fructus fuerunt præstiti . Exepro tantum eo anno , quo edacitate locustarum omnes fructus sunt consumti , agrique steriles redditi . Brevis ter . Conductor qui pro re aliqua fructus mercedis nomine promisit absque certa quantitate , tot tenetur locatori præstare , quot alias ex illa re præstiti , exceptis tamen annis sterilibus .

C

XXX. Fin.

XXX. Fingamus igitur, quod Titius a Sempronio præmium,,  
quod ante hac pro centum modiis frumenti aliquoties fuit elocatum  
in triennium conduxit, eique mercedis nomine perinde frumentum  
promiserit; Contigit vero primo conductionis anno maxima sterilitas:  
Locustæ enim edaces omnes fere fructus sunt depastæ; Secundo au-  
tem & tertio anno more solito mediocres fructus sunt percepti: Lis  
igitur incidit de pensionis præstatione, & i. quidem *quesitum*: Quan-  
tum frumentum a Titio Sempronio præstandum? Ad quod respon-  
detur, juxta præteritam consuetudinem, i.e. tantum præstandum, quan-  
tum ante hac præstitum, centum sc. modii frumenti *Quæsit. 2.* An  
pro singulis annis hæc quantitas præstanda: Et Resp. quod deducen-  
dus sit annus, quo edaci locustarum pernicie sterilitatis vitium interces-  
sit; cuius ultimi decisi, missò priore, rationes nunc considerabimus &  
usum modernum: Esto itaque

## MEMBRUM II.

*De*,

## RATIONE LEGIS

I.

**Q**uamvis si legis verba clara sint, non necessarium videatur in ejus  
rationem nimis anxie inquirere, cum verba abunde demonstrent  
voluntatem dicentis l. 7. §. 2. v. *Id Tubero. ff. de supell. legat.* Nec ullum  
certius voluntatis sua testimonium legis scriptor relinquere potuerit,  
quam quod ipse magna diligentia & cura scripsit, ut ait Cicer. libr. I. de  
*Orat.* Attamen si de ratione quoque legis constare possit, ea non est  
negligenda. Verbum enim *ex Legibus* sic accipiendum est: tam ex  
Legum sententia, quam ex verbis, inquit Ulpian. l. 6. §. 1. *ff. de V.S.* i.e.  
non solum ei inhærendum, quod palam verbis legis expressum, sed et  
iam quod per necessariam consequentiam ex mente legis & sententia  
deducitur. *Can. 64. c. 1. q. 1.* Wissenbach. add. l. 6. Disp. 4. tb. 4. Idem  
enim potest sola mens Legis, si certa, quod mens & verba simul. Andr.  
Alciat. *ad d.l. 6. de V.S. n. 9.* adde Coraf. *de Jur. in art. redig Part. 4. c. 1.*  
Nostræ igitur Legis verba, utut etiam clara, ejus tamen rationem ideo  
indagabimus, quo .eam ex mente Legislatoris manifesta, postea in-

*Mem-*

*bro 3. facilius ad similes casus producere queamus, vigore L. Non pos-  
sunt. 12. & seq. ff. de LL. Adde Hillig. Donell. Encl. l. i. c. 14.*

II. Est autem ejus, quod edax Locustarum pernicies conductori non imputanda, sed ideo pensio minuenda, duplex ratio: Una generalis, altera specialis. Generalis hæc est, quod naturali æquitati adversum, imputare alicui, quod nulla ratione prævideri vel si prævideri consilio tamen humano averti aut præcaveri haud potuit. l. 18. ff. Commod. l. 24. §. 4. ff. de damn. infest. l. i. §. 4. ff. d. O. & A. l. 2. §. 7. ff. de Admin. Rer. ad Civ. pert. l. 6. C. de Pign. act. Ubi enim nulla culpa, ibi nulla statuenda poena. l. 22. C. de pœn. Hinc in omnibus bonæ fidei contractibus receptum, ne casus fortuitus in illis præstetur. l. 23. ff. de R. J. Carpz. P. 2. C. 26. def. 15. Richter. Dec. 81. n. 72. Johan. Koppen. P. 1. Decis. Qu. 18. n. 12. Hahn. ad Wesenb. Tit. Commod. n. VII. verb. Dummodo non. Sic in specie in contractu Locati Conducti Servius omnem vim, cui resisti non potest, Dominum Colono præstare debere, ait l. 15. §. 2. ff. Locat. Cond. l. 28. C. eod. Quidni igitur inopinata quoq; & fatalem Locustarum edacitatem?

III. Enimvero tanta harum vis, tanta est voracitas, ut quæcumque etiam media ab hominibus inventa non sufficerint ad illas repellendas. Fuere alii, qui tympanis turbarumque clangore usi contra magno numero adventantes, sed nihil omnino vel parum profecerunt. Et qui proficere potuissent, ubi quemadmodum Franz. in Histor. Anim. Sacr. de Locustis. de Marchia nostra sub anno 1542. testatur, ad equi ungulam usque ingagris jacuerunt? Taceo quod tam citissime omnia consumant, ut tempus sere non suppetat, media contra illas excogitandi. In Africa, quæ alternis ferme annis, quod mirum, hac peste laborat, una sèpe nocte incolæ satis ac germine omni spoliantr: Dicerès, inquit Cardan. de subtilit. l. 9. p. m. 505. nivem tota nocte decidisse, si candidæ essent & non nigræ. Add. Augustin l. 3. de Civitate Dei C. 31. Idem fatum experta Italia anno 1542. & 1543, ubi teste Menoch. de Remed. Recup. poss. Remed. 12. n. 36. & 37. tanta fuit locustarum copia, ut per sex integras horas perduraret volatus, ac velut densissima nubes solem obscurarent, unde factum, ut jactæ paulo ante lementes absuntæ fuerint quam citissime. De Germaniæ nostræ quibusdam regionibus, in primis districtu Sternebergensi, utinam testari necessum nō haberem, quantum præterito anno brevissimo tempore senserint spe- ratarum frugum damnum!

C 2

IV. Ex

IV. Ex quo patet, Locustarum perniciem non minus recte, quam vere casibus fortuitis annumerari: averti enim prudentia humana nequit. Boff. *Tr. de Remiss. Merced.* n. 2. Sebast. Medic. *Tr. de Casib. Fortuit* P.I *Qu. 13 n. 19.* Menoch. *d. Remed.* 12. n. 37. Magon. *Florent. Decis.* 67. n. 12. Inde illam Theophrastus *s. de Caus. Plant.* *tr. dno tib* *dauid* *de cœtiav* i.e. causam cœlitus immissam vocat: Et Cajus *JCTus* *Θεός* *Clari* i.e. vim divinam, *l. 25. §. 6. ff. locat.* & *l. 2. in fin. ff. de Peric.* & *Com. vei vend.* Plinius vero *in Natur. Histor.* *l. 18. C. 24.* injuriam Cœlestem nominat, quæ non ab hominibus, sed admirabili quadam potentia Dei infertur. *Conf. Membr.* 1. *tb. 23.* Quapropter ini-  
quum esset hujusmodi casus præstationem à conductore exigere, cu-  
jus tamen evitandi facultas ipsi penitus ademta *l. 1. §. 4. ff. de O. & A.* &  
*arg. l. 31. cum l. 85. ff. de R. J. Add. C. Propter. 3. X. de locat.*

V. Specialis ratio est, quod in locatione rerum merces solva-  
tur ob usum rei locatae. Hic enim aestimatur, & ex hujus aestimatione  
pensio, seu merces constituitur. Franzk. *adff. Tit. locat.* n. 66. Equeum  
igitur est & naturali rationi quam maxime conveniens, ut qui re sibi  
locata uti non potuit, vel frui, illi pensionis fiat remissio. Wesenbec.  
*in Parait. adff. eod. in fin.* Quemadmodum enim, si nulla adest res,  
quæ venditur, frustra est omnis venditio; ita frustra est locatio, ubi  
nullus est usus. Confer Excellent. Dn. Ziegler. *ad Grot. de J.B.* & *Pac.*  
*l. 2. C. 13. §. 18.* Hinc non potest salvo Contractu Locati conveniri, ne  
iusus præstetur. v. gr. Solte auch gleich der Locator ihm den Usum  
nicht præstiren wollen oder können / so solte er dennoch die pension  
objutra en gehalten seyn. *arg. l. 1. §. 6. ff. deposit. l. 10. C. de Pac.* *l. 15 ff. de Public.* & *Vestigal.* *l. 52 ff. de V.O.* *l. 1. ff. de Constat.* *Pecun. l. 6. §. 1. ff. de con-*  
*trab. Emt.* *l. 23. ff. & c. 85. de R. J. in 6to.* Foret enim hoc contra substantiam  
seu essentiam Contractus Locati intrinsecam. Mev. *in Tr. de Pen-*  
*sion.* *n. 74.* Imò contra bonam fidem, contraque bonos mores, *arg.*  
*l. 1. §. 7 ff. Deposit.* *l. 27. §. 3. & 4. ff. de Pac.* uti in terminis probat Cravet.  
*Conf.* *233. n. 9 Joh. Dell. Castil. Sotomeyer. P. 3. Controv.* *c. 3. n. 66.*

VI. Omnis itaque causa, quæ sine sua culpa Conductor uolum  
rei conductæ afferit, locum facit remissioni mercedis *l. 8. C. Locat.* *l. 15.*  
*§. 1. & l. 25. §. 6. ff. cod. d. cap. 3. X. de Locat.* Menoch. *Conf.* *27. n. 16.* Co-  
varruv. *Praet.* *Qu. Tom.* *1. C. 30. n. 1. Carpzov.* *P. 2. C. 38. def. 19. Vicent.*  
*Caroc.* *Tr. de Locat.* *P. 3. n. 1. Don. Garsf. Mastrill.* *Dec.* *299. n. 91.* Et sic  
quo-

quoque pernicies edax Locustarum: Nam oportebat agrum ita præstare Conductor, ut frui possit, verba sunt Ulpian. in d. l. 15. §. 1. in fine ff. Locat.

VII. Qua occasione non inepte quæritur: An præter remissio nem mercedis etiam ad intereste teneatur Locator Conductor; v.gr. ad sementem edacitare Locustarum simul amissam restituendam? Et recte hoc negatur L. si fundus. 33. in fin. ff. Locat. l. 15. §. 1. Ibi: supra damnum seminis amissi. ff. eod. Diversa enim hac sunt, nec ab uno ad aliud illatio locum habet, uti aperte indicat Ulpian. in l. 9. §. 4. ff. eod. Facilius quoq; remittitur pensio, quam ut præstetur id, quod inter est conductoris. Mev. P. 6. Dec. 400. Neque refragatur id, quod tb. 2. ex Ulpian. in l. 15. §. 2. ff. Locat. retulimus, ubi Servius ait: Dominum omnem vim, cui resisti non potest, conductori præstare: Hoc enim ita intelligendum est, ut mercedem antea sibi solutam vel reddat, vel ob pernicie Locustarum remittat l. 1. C. eod. Non etiam ut Conductor id, quod interest, præstet d. l. 1. & l. 55. ff. eod. Wissenb. ad l. 1. C. Locat. Unde sicut conductor non tenetur locatori præstare damnum casu fortuito rebus conductis illatum; sic nec locator Conductor id, quod ejus interest respectu seminis amissi. Uterque enim in hujusmodi casibus culpa vacat, quemadmodum decisum refert Mevius P. 2. Dec. 84. Add. B. Brunnenm. ad d. l. 15. ff. locat. n. 12.

IXX. Huic rationi speciali accedit, quod ipsi locatori, si possedisset fundum, hic casus obtigisset, ejusque fructus perinde a locustis essent consumti, ut adeo æquum, inevitabilem hunc interitum ad Locatorem pertinere arg. l. 14. §. 1. Deposol. 44. ff. ex quib. caus. maj. | Et quis alioquin conducturus esset prædia, his præprimis calamitosissimis temporibus, si non speraret sterilitatis causalis a Locatore remissionem? Multi hac ratione agri, quibus colendis locatores superesse vel nolunt, vel non possunt, inculti remanerent, non sine summo Reipubl. detrimento.

IX. Quas omnes ob causas non erat æquo animo ferenda austertas Locatoris, urgentis quoque mercedem istius anni, quo edaci locustarum perniciose sterilitatis vitium intercesserat. Neque enim quicquam pro ipso facere poterat, (i. quod, sicut pensio non agetur Conductor ob insperatum fructuum angumentum, l. 25. §. 6. Ibi: cum immodicum lucrum non afferatur ff. Locat.) Sic quoque imminui non debet ob damnum a Locustis illatum, cum contrariorum eadem sit ra-

tio l. i. ff. de his, qui sui vel alien. jur. l. ult. C. de indic. Viduit. & secundum naturam sit, ut qui commodum sentiat, idem debeat sentire etiam incommodum. L. secundum naturam. ff. de R. I. Anton. Gomez. Tom. 2. Var. Resol. cap. 2. num. 19.

X. Evidens enim diversitas est inter fertilitatem & sterilitatem, quam quidem non hanc constituiimus cum Bald. adl. 8. C. Locat. n. 1. quod, ubi sunt multi fructus, ibi sit gaudium, ubi sterilitas, ibi luctus & dolor, ecquæ enim illa? Sed quia locator alteri rem suam concedens sciri potest & debet, quantos fructus res sua bene, imo optime culta queat proferre, nec evenire facile potest, ut adeo excessiva oriatur ubertas: Unde ipse Locator censemur pretium habita ratione fructuum, quam maximum posuisse; Conductor vero conduceens rem alterius non potest adeo accurate scire, quantos fructus illa res sit productura: Unde si postea immodicum damnum passus est, merito remittitur merces. Facit, quod in sterilitate magis oneretur Conductor, qui semen jaustum & alia damna sibi, non locatori, imputat, de quo in tb. 7.b. mem- bri. Unde in eo sublevandus, quod immodicum augmentum ei non sit aufferrendum. Zœf. ad ff. Tit. locat. n. 22. Wissenbach. tit. eod. tb. 20. Bachov. ad Treutler. Vol. i. Disp. 29. tb. 7. lit. e. Adde Johan. Sichard. adl. 8. C. de Locat. num. 1. Vicent Caroc. Tract. de Locatione p. 3. num. 28.

X. Quod imprimis verum, si ob factam industriam conductoris agri fuerint maxime fertiles redditi: Sic enim, uti ob sterilitatem, negligentia sua causata, nulla sit remissio, arg. l. si merces. 25. §. 4. ff. Locat. Mev. de pension. num. 47. Sic nec ob diligentiam augeri debet pensio. Idem est si exbonitate intriseca uberrimi nascerentur fructus, quia hanc præsumitur sciens Locator. Add. J. Sichard. d. l. n. 2. Speckhan. Question. Jur. Cent. 3. Clas. 1. qu. 22. n. 4.

XII. Pariter nec hoc (2. pro locatore allegari poterat, quod sicut in Emptorem simul atque venditio perfecta est, transit omne rei venditæ commodum, & incommodum l. i. & 8. ff. de peric. & commod. Rei vend. Sic quoque in locatione Conductione damnum à locutis datum ad conductorem spectare debeat, neque capropter remitti merces semel promissa, cum locatio conductio similis sit emitioni venditioni, iisdemque juris regulis consistere dicatur, pr. & §. 1. I. de Locat. l. 2. ff. eod. Add. Vultej. ad pr. l. d. Tit. n. 2. & seqq. Id quod imprimis urget Joh.

Joh. de Lugo de J. & J. D. 29. Sct. 2. n. 36.

XIII. Comparatio enim Locationis cum emtione non est universalis. Vid. Dd. ad pr. I. de Locat. Sic cum in venditione hoc inter partes agatur, ut venditor rem eatori ita tradat, ut eam habere liceat, non tantum quoad usum ejus, sed etiam quoad ipsam rem, i.e. possessionem & dominium l. 25. §. ult. & l. 80. in fin. ff. de Contrab. Emt. §. 41. I. de R.D. Omne quoque commodum & incommodum ad ipsum pertinere debet. §. 3. de Emt. & Vend. Non etiam ad conductorem §. 5. I. de locat. quoniam ad hunc ex natura locationis solum usus transferatur, non Dominium aliudve jus in re l. 39. ff. Locat. l. 80. §. fin. ff. de Contr. emt. Dn. Tabor in Part. Element. p. 3. Sct. 4. b. 46. Neque vera possessio, utpote quam Dominus retinet, cuius nomine conductor in possessione esse intelligitur. l. 60. §. 1. ff. Locat. & l. 18. §. 1. l. 32. §. 1. ff. de Acquir. l. amit. posses.

XIV. Instat quidem porro Joh. de Lugo d. Sct. 2. n. 36. §. contra conductorem (3. moyet, quod videatur emere spem fructuum futurorum, & inde periculum ad ipsum transeat, insofar alius Emotoris spei v.gr. misfilium, captus piscium, vel avium l. 8. ff. de Contrab. Emt. l. si jactum. 12. ff. de A&E. Emt. Verum confundere videtur Emotorum spei & Emotorum rei sperata: De illo concedimus, quod ejus sit periculum, valeatque venditio, sive quid captum fuerit, sive non, dd. text. Non etiam de hoc: Hic enim sub conditione tacita emere videtur, si fructus nascantur, unde fructibus non natis emtio retro nulla est, nec quicquam venditori debetur, sed pretium solutum repetitur. d.l. 8. pr. Mudæg ad. d.l. 8. n. 5. & 6. Natta Conf. 86. n. 3.

XV. Quod si igitur comparatio aliqua instituenda, erit illa inter Emotorem rei speratae & conductorem, Hi enim in jure aliquando æquiparantur, ut in l. 12. ff. de Ann. Legat. & l. 8. §. 1. ff. de Reb. Author. Judic. poss. Conf. Bartol. ad l. 11. §. 5. ff. de Public. & Veitig. n. 10. & seq. Quamvis nec hoc universaliter obtineat; minime vero inter emotorem & conductorem. Atque sic pro nobis potius quam contra nos erit Joh. de Lugo d. l. Emotor enim fructum speratorum, uti jam dictum, periculum non sustinet, quia cum fructus communiter nascantur, partes contrahentes verosimiliter cogitasse creduntur de fructibus nascituis. Et ideo non contraherent, nec contraxisse censemur, si non nascantur, quia sub illa conditione contraxerunt, si nascantur, & non aliter. Anton. Gomez. Tom. 2. Var. Resolut. c. 2. n. 7. Lud. Molin. de J. &

de J. S. Tr. 2. Disp. 340. n. 14. Frantz. adff. Tit. de Contrah Emt. n. 118.  
Add. Dn. D. Stryck. in Prolect. Cautel. Sect. I. C. 2. §. 4. Idem igitur quoad  
conductorem nostrum similiter dicendum.

XVI. Unicum restat, quod *74* adfertur pro locatore à Grot. *de I. B. & P. L. 2 cap. 12. §. 18.* sufficere nimirum, quod conductori tradi-  
derit facultatem utendi re sua, cuius fructuum spes eo tempore, quo  
contractus inibatur, tanti æstimabatur, adeoque cum iste suum præsti-  
terit, hunc quoque pensionem, quam promisit, præstare æquum esse :  
Neque fructus locari absolute, sed rem, quæ apta est ad producen-  
dos fructus, & ius istos percipiendi : Ideoque contractu perfecte cele-  
brato, per consensum de jure illo certa mercede utendi, vi justitiae *or-  
væλλαντије* Conductorem quodammodo Dominum esse dicti juris,  
indeque & ipsius periculo existere, quod deinde circa fructus a Locu-  
stis contingit, infortunium. arg. l. 6. C. de Pign. a. f. Hahn, ad Wesenb.,  
*Tit. Locat. n. 16. verb. ut p[ro]fetet dama[n]i.*

XIX. Verum quamvis hac ita subtiliter disputari possint, nec stricto  
jure, si res quarum proventus incertus est, elocatae fuerint, quidquam  
de pensione ob sterilitatem sit detrahendum, hoc tamen solum de casibus  
frequentioribus & damnis non adeo gravibus intelligendum : ob hæc  
enim si semper pensio minuenda, perplexarum litium magna seges es-  
set pollulatura. Hinc pensiones fundorum ad mediocrium annorum  
proventus determinantur, ne ex modico damno coloni querelas mo-  
vendi causam habeant; non etiam de casibus rarioribus & damnis ex-  
tra consuetudinem contingentibus v. gr. Locularum. Horum enim  
ratio ut habeatur, æquitas quam maxime svadet & ratio naturalis, ne  
sc. colonus supra damnum seminis amissi mercedes agri præstare ade-  
oque duplex damnum ferre cogatur. l. 15. §. 2. ff. Locat. Dn. Pufendorff. de  
*I. N. & G. libr. 5. cap. 6. §. 3.*

XIX. Et hoc etiam intentioni & voluntati partium optime  
convenit: Hæc enim non tam rem ipsam, quam usum, non tam uten-  
di facultatem, quam ipsam utilitatem videntur considerasse. Anton.  
Gomez. d. Tom. 2. cap. 3. n. 18. Unde locator non solum præstare de-  
bet, ut Conductor rebus locatis per traditionem simplicem & patien-  
tiam uti frui possit, sed etiam amovere impedimenta l. 25. §. 1. & 2. ff. Lo-  
cat. & defendere conductorem in possessione: Res enim non censeretur  
tradita, nisi ita duret toto tempore convento. Panzschini. de pens. qv. 14.  
num. 44.

20  
num.44. & qv.15.n.8. Sicut & locator libello in qvo pensionem petit,  
quo facilius obtineat, hoc inserere solet: *Quod præstiterit & accommoda-*  
*verit liberum usum & patientiam: Quoniam ex sola locatione nondum*  
*videtur contractui satisfactum, nisi revera quoque usus præstitus. Cra-*  
*vett. Conf.127.m.14. & Conf.151.n.101. Joh. Del. Castill. Sotomeyer. p.3.*  
*Controv. c.3. n.15. & 16. Mey. d.tr.de pension.n.2. & 3.*

XIX. Licet vero non potuerit edacem Locustarum perniciem,  
avertere Locator & ita usum præstare, ideoque nec remissione merce-  
dis gravandus videatur, quia tamen contra jus naturæ esset, si eidem  
mercedem cum detimento Conductoris gravissimo adjudicaremus l.  
206. ff. d. R. J. non potuit non Legis nostræ Latoribus placere, non à  
conductore exigetur penfio isto anno, quo edaci Locustarum perni-  
nie sterilitatis vitium intercessit, quemadmodum pluribus *in pr. b. mem-*  
*bro expositum. Add.Dn.Pufendorff. d. l. §.3.*

## MEMBRVM III. De VSV LEG IS I.

**P**Osito Legis nostræ fundamento, ad usum nunc progedimur. Pa-  
rum enim est jus nosse, si non ad usum applicetur, quippe omni-  
um rerum optimus Magister usus est, qui teste Cicer. pro *Corn. Balb.*  
perfectius docet, quam præcepta. Cui congruit quod Bald. habet in  
*L. Æmilii 38.n.11.fin.in ff. de Minor.* Tunc demum Leges sapere quan-  
do practicantur, fructusque velut ex arbore colliguntur. Hinc *sul-*  
*tissimos fieri existimat Petronius, qui nihil ex iis, que in usu habebunt,*  
*vident aut audiunt, & hoc tantum proficere, ut quum in forum vene-*  
*rint, putent se in alium terrarum orbem delatos, nec magis sapere, qui*  
*intrâ illa nutriuntur, quam bene olere, qui in culina habitant. Conf. Sim.*  
*van Leeuven in Cens. Forens. part. I. Prologm. Harprecht. ad §.6. I. de*  
*Satisfat. n. 2. seqq.*

II. Quod igitur præsentem legem attinet, illam in viridi esse  
observantia, nullum dubium est. Testantur hoc unanimi consensu Dd.  
interque hos ipse Groenvveg. de *LL. abrog.* qui tamen facile alias *LL.*

D

abro-

ED  
S  
T

abrogatas contendit. Testantur insuper multorum judiciorum consona præjudicia: Ut taceam præsumptionem militare pro obseruantia Legum, quamdiu contrarium non probatum, Camill.Borell. *Cons. 12. num. 26.* Lex enim semper loqui præsumitur. *l.5.C.de Hæretic.L.Sancimus. 27. C.de Testam.* nec per non usum tollitur vel abrogatur. Bart. *in prima conſtit. vel proœm. ff. §. Et ante a in fin.* Abel S. r̄isburg. *Cons. 5. n.31.* Fachin.lib. i. *Cons. 56.* Vivius Dicif. 338. cum Legis authoritas non ex usu Civium, sed ex voluntate Legislatoris dependeat, ut prolixius probatum in *Disp. de Non Iusu Jur. Quæst. Pres. Dn. D. Stryck. habita Cap. 2. n.2. & seqq. Add. Reusner. Lib. i. Cons. 19 n.147.*

III. Ut vero ob edacem locustarum pernicie remissio mercedis impetrari posat, sequentia potissimum sunt necessaria: (1) Intolerabilis seu immoderata sit perniciose: (2. Nequeat opponi compensatio cum annis fertilibus: (3. Non concurrat culpa vel negligentia Colonii: (4. Calamitas locustarum sit inconsuetata: (5. Colonus non sit partiarius: (6. Nec in specie edacitati Locustarum sit renunciatum.

IV. Quantum ad *Imum*, expresse illud habetur in *l. 25. §. 6. ff. Locat.* Modicum enim damnum quod à Locustis circa fructus contigit, æquo animo ferre debet Colonus, cui immodicum lucrum non auffertur. *Add. l.15. §. 2. ff. eod.* Nam secundum naturam est, eum sequi incommoda, quem sequuntur commoda. *l. 10. ff. de R. I.* Neque opponi potest hic tritum illud: Neminem cum damno alterius fieri debere locupletiorem: Nam idem posset occinere Locator in ubertate insigni ad augendam pensionem, qui tamen non auditur. *Dn. Pufendorff. de I. Nat. & Gent. L. 5. cap. 6. §. 3.* Confer. membr. 2. tb. 10. *& 17.*

V. Anceps vero quæſtio est inter Dd. quodnam Locustarum damnum dicatur immodicum vel plusquam tolerabile? In diversa hic abeunt plurimi, ut videre est apud Hieron. Pantzschmannum d. *Tr. L. 1. Q. 1. tot.* Nos breviter cum illis facimus, qui hoc ex arbitrio bonorum virorum ejusmodi rerum notitiam hahentum nach ehrſtcher und des Werks verſtändiger Leute Erfährtñß ex æquo & bono definitum relinquunt judicii, *arg. l.32. ff. de Iſfur.* Quæcumque enim certe in jure non sunt determinata, hæc judicis arbitrio relicta creduntur *l. 1. ff. ae Jur. deliber. l.30. ff. de Legat. 2. l.35. §. 2. ff. de V. S.* Atque huic opinioni subſcribunt Menoch. *de A. J. Q. L. 1. Cas. 66. Pantzschm. d. l. q. v.*

B. N. 33.

n. 33. Carpz. P. 2.c. 27. Def. 14. Struv. in Synt. Jur. Civ. Ex. 24. tb. 16.  
Gail. 2. Obj. 23. n. 1. Vincent. Caroc. in Tract. de Locat. P. 3. n. 2.

VI. Quamvis igitur non negemus, immodicam esse perniciem si pars tertia fructuum desperdita, quod tantum attendendum putat Ruin. L. 1. Conf. 81. n. 3. Vel cum semen jactum non recipitur, vel etiam, quod communiter statuunt Dd. si Colonus tot fructus non colligat, quorum valor deductis impensis ad dimidium mercedis adscendat, sive quando Conductor solvendo pensionem remanet Iesus ultra dimidium; v.gr. si ager conductus sit 100 thal. fructus autem collecti, non nisi 40. thal. sint, quam sententiam tuentur Brunnem. ad l. 25. ff. Locat. n. 16. & seqq. Christinae Vol. 3. Decis. 110. n. 14. Henr. Canis. in Prelect. ad C. 3. X. Locat. Mev. de Pension. n. 20. Joh. Sichard. ad l. 8. C. Locat. n. 13. Minus tamen tutum arbitramur, ad hos casus tantum judicis arbitrium restringere, præprimis cum L. 2. C. d. Rescind. Vendit. ad quam respiciunt modo allegati autores, locum non habeat, quoties laesio est ex incerto eventu seu casu fortuito l. 1. §. 4. Ibi: nec enim eventus damni restitutionem indulger. ff. de Minor. Vnde cum ex natura Contractus Locati non nisi ratione usus percepti debeatur merces, sequitur, non præcisè ad quantitatem esse respiciendum, sed pro rata exonerationem mercedis faciendam, per expressum textum in l. 15. §. 7 ff. Locat. juxta quem in terminis decidit Mev. P. 9. 144. Add. Frantz. ad ff. tit. de Locat. num. 106. Hunni. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 29. qv. 33. Dn. Lauterb. ad 3. Part. ff. Tit. Locat. §. 2. tb. 12. Quapropter si omnes penitus fructus consumserint Locustæ, nihil mercedis nomine præstabit Colonus d. l. 15. §. 2. Ibi: ne supra. Si quosdam, ut plerumque fieri solet, præstabat pro rata illorum ex æquo & bono. Conf. Struv. d. Exerc. tb. 16.

VII. Probabit autem immodicum Locustarum damnum conductor. Neque enim nuda ejusdem assertioni fides habenda, sed fundatum sua intentionis ab ipso requirendum. l. si qui dicit. 2. ff. de Probat. l. 4. C. de Edend. Pantzschm. d. Tr. qv. 2. n. 8. quamvis notorium sit Locustas hinc inde fuisse, maximaque damna dedisse, conductor tamen aliter remissionē nō impetrabit, nisi in specie sibi damnum ab illis immodicum fuisse datum docuerit. Pantzschm. d. l. n. 10. Non enim omnibus agris æquale afferunt damnum Locustæ, sed aliis magis nocent ac aliis. Quod eo facilius probabit, quo magis de Locustarum natura inexplibili & calamitate exitiosa constat ex historiis. Adde Membr. l. tb. 23.

IIX. Alterum quod requiritur, ut edax Locustarum pernicies deduci possit, est, ut non possit opponi compensatio cum annis solito uberioribus L.8.C.Locat.l.15. §.4. & C.3.X.cod. Hac enim semper locum habet, quoties locatio in plures annos est contracta. Græv. 2. Concl. 23. Confid. d. 1. num. 5. Hinc non intelligitur annus sterilis, nisi omnium rerum conductarum fructibus computatis nihilominus quis enormiter læsus: Unde si quis v.gr. ex una forsan re nihil penitus ob locustarum edacitatem perceperit; perceperit vero ex alia re fructus solito majores, non erit remissio facienda, sed compensatio sterilitatis cum fertilitate jucunda arg. §.2. Inst. de societate. Natta. Cors 449. n. 5. Idem est si uno anno nihil fructuum collectum, in subsequentibus vero vel præter consuetudinem majores percepti. Dn. Lauterbach. d. tit. Locat. §. 2. tb. 24. Nam ubertatis velamine paupertas tunc optulatur, ut inquit Bald. ad l.8. C. Locat. n. 11. Petr. Surd. Decis. 155. n. 6.

IX. Quæritur vero hoc casu de tempore, quo damnum à Locustis datum deducendum: Quid enim si, ut in nostra Lege casus traditur, ad tres annos locatio facta & primo anno edacitate Locustarum sterilitatis vitium intercesserit, an conductor ubertatem reliquorum annorum, qui residui sunt, sperare & petitionem remissionis mercedis in finem locationis differre, an vero statim remissionem petere poterit? Et distinguendum hoc casu, utrum collective seu conjunctim res locata, una sc. pensione in omnes annos constituta v. gr. si quis conduxerit fundum ad triennium pro 600. thaler. quod moribus tamen nostris fieri solet; An vero distributive, pensione pro singulis annis constituta æqualiter, quod in locatione fundorum desertorum plerumque moris est, v.gr. Si pro primo anno 50. pro secundo 100. & ita ulterius, fuerint promissi. In primo casu finita demum locatione fit remissio, habita ratione ubertatis est sterilitatis omnium annorum. Carpov. P.2.C.37.def. u.n.6. Boss. Prax. Crim. tit. de remiss. merced. n. 23. & seqq. Nam unicatune & individua & omnium annorum locatio, unde per consequens non nisi toto contractu finito de remissione mercedis laborandum, in posteriori vero casu statim fieri debet, non expectata ubertate sequentium annorum, quia sic tot censemunt esse locationes, quot sunt pensiones ad solvendum statuta, Georg. Frantz. ad tit. de locat. n.108. & seq. Molin. de J. & J. Tract. 2. Disp. 495. n. 16. Alvar. Valasc. de jure Em. physicu.

X. Quod ultimum ita tamē intelligendum, ut si remissione, facta

20

facta sequentibus annis magna obveniat ubertas, non præjudicet domino semel concessa remissio, sed nihilominus integrum mercedem ejus anni quo remisit, exigere poscit. l. 15. §. 4. ff. Locat. Mev. P. I. dec. 196. n. 7. Gail. 2. Obs. 13. Carpzov. d.c. def. 13. Inde resolutivam dicit Bald. ad d. l. 18. C. Locat. ubertatem sequentem quia resolvit pensionem antea remissam: Nisi dominus conscius ubertatis priorum annorum nihil secius propter sterilitatem ultimi anni a Locustis causatam, a liquid remiserit; Sic enim præcedens ubertas non potest in compensationem venire, cum locator pensionem ultimi anni donasse videatur. d.l. 15. §. 4. Zcel. ad ff. tit. Locat. num. 12. Idem est si aliud inter partes fuerit convenitum, de quo vid. Carpz. P. 2. C. 37. def. 13. Adde Sichard. ad d. L. 8. C. Locat. n. 15. Cæterum quænam ubertas tanta sit, ut posit cum damno locustarum compensari, illud perinde arbitrio judicis relinquimus, uti supra de ipso damno diximus Vid. Membr. h. tb. 5. Frantz. d. tit. n. 14. Sichard. d. l. n. 14.

XI. Tertium requistum, ut damnum locustarum remittatur, est, ut nulla culpa concurrens vel præcedens casum posit imputari conductori l. 15. §. 2. Ibi: *Cui res isti non potest & l. 25. §. 3. ff. ed. Molin. de J. & J. Tr. 2. disput. 495. n. 13. August. Barbos. ad d. l. 8. C. Locat. n. 14.* Quapropter si conductor postquam Locustarum peste omnia sata sunt consumta, quamvis ut plurimum maturis fere fructibus hoc fieri soleat, adhuc tempus habuerit, & commodam sementem faciendi occasionem, insuperque probabilem futuræ messis spem, nec tamen de novo agrum seminaverit, exonerationem mercedis impetrare haud poterit. Bachov. ad Trentl. Vol. I. disput. 29. tb. 7. lit. d. Idem obtinebit, si colonus illo anno, quo calamitas Locustarum secula fuit, plane agros non coluerit: Nam non potest tunc dici Locustarum pernicie sterilitatis vitium intercessisse. Panzschm. d. Tr. qv. s. n. 15. Ad quod respiciens Ulpian. in l. 15. §. 3. ff. Locat. notabiliter dicit: *si præmium colui si proper casum non immerito subveniendum tibi est.* Adde Alvar. Valasc. de jure Emphyt. qv. 27. n. 42. Quo tamen casu in conscientia remissionem faciendam vult Joh. Valer. in differ. urig. for. verb. Locat. differ. s. Neque aliud dicendum putarem, si media licita, quibus alii Agricultores fugarunt Locustas, de quibus vid. Joh. Jacob. Wecker. de Secret. l. 7. c. 2. & l. 8. c. 21. Scalig. de Subtilit. Ex. 192. n. 2. Sim. Majol. in dieb. canic. T. de Infect. neglexerit Conductor: Sic enim culpæ reus est, dum quod alii damnum amoverunt, ipse non amoverit, unde sentire illud non

intelligitur l. 203. ff. de R. J. Sebast. Medic. de casib. fortuit. P. I. qu.  
II. n. 7.

XII. Quæritur vero hac occasione: An non Conductor excommunicationis fulmine fugare posse Locustas? Tentasse id ipsum Beluen-  
ses, homines Provinciae cuiusdam in Burgundia, locuples testis est Bartholom. Chassanæus, JCtus Burgundia in Conf. I. Enimvero cum ho-  
rum ager à perniciose quodam & edaci insectorum genere frequentis-  
ime infestaretur, & maximum exinde detrimentum ad ipsos redundar-  
et, moti hac insectorum pernicie, Vicarium sedis Episcopalis qui Au-  
gustoduni erat, adiecunt, ab eoque supplici voce petierunt, ut quam-  
primum edacibus hisce animalculis imperaret, quo vel confessim da-  
minum inferre desinerent, vel provincia sine mora excederunt, per-  
severantes vero & remanentis diris devoveret, & execraretur. Cui  
non dissimile exemplaria recenset Simon. Majol. d. Tr. tit. de Insect.  
qu. 101. de Italiae incolis, quia pari ratione censuris Ecclesiasticis contra  
impian Locustarum vastationem faviendum decreverunt, Add. The-  
odor. Zwingler. in Theatro Vitæ Hum. Vol. 5. Libr. 4. p. 1515.

XIII. Approbat hujusmodi fugandi modum d. Chassan. &  
prolixum ea propter conscripsit consilium, in quo, ut breviter compre-  
hendam, quæsivit (1. An talia insecta in jus vocari & citari possint & quo-  
modo? (2. An in Persona teneantur comparere, an per Procurato-  
rem? (3. Quis judex illorum competens, Ecclesiasticus ne, an secula-  
ris? Et denique (4. An possint excommunicari? Verum pudeat tan-  
tum JCtum ejusmodi ineptiarum. Quid opus est tot ambagibus mi-  
nus profuturis? Nonne inanis erithic omnis actio, imo propter inopiam  
Adversarii nulla? l. 6. ff. de dol. mal. Et qua ratione excommunicari po-  
tuerunt animalcula, quæ nihil commune habent cum cætu fidelium? Ex-  
communicatio, ipsis fatentibus Catholicis, est hominis Christiani à  
corpo Ecclesiæ vel saltem à perceptione Sacramentorum ejus exclu-  
sio Canis. in Sum. J. Can. L. 3. tit. 23. §. 2. Vann schadet der Seele/  
und nimmt doch niemand den Leib / noch kränket iemand an Lehn/  
Recht / da folget des Königes Acht nach Specul. Saxon. L. 3. Art. 63.  
Aplicet vero hæc quisquam ad Locustas. Vide prolixe & erudite hac  
de re differentem Magn. Dn. Thomæ in Tr. de Nox. Animal. C. 27. n. 53.  
5 seqq.

XIV. Quapropter nolumus conductorem ad hoc & alia ejusdem  
farinæ

lomi

20

farinæ media obligatum , sed si quæ superstitionis adhibuerit , eundem puniendū dicimus . Neq; audiendus locator , qui ob bonū finem , fructuū sc. Conservationem hæc adhiberi potuisse prætendit , cum ipso etiam Jurecivili ejusmodi remedia omnia improbata l. *Eorū effscientia 4.C.* *de Malef. & Mathem.* ibique Bartol. Nam non sufficit finem bonum esse , si non etiam media fuerint talia . Unde recte cum Ulpian. ex l.i. *ff. de Extraordin. Cognit.* paucis mutatis inferimus . Non posse quicquam imputari conductori , si non incantavit , si non imprecatus est , si non exorcizavit : Non sunt ista medicina genera , tametsi sint , qui hæc sibi profuisse cum prædicatione affirment .

XV. An autem imputandum Conductor , si ex invidia aut ini-  
micitia erga ipsum veneficus quisquam agros conductos locustis in-  
cantasse , non incongrue hic queritur ? Posse id ipsum cooperante dæ-  
mone fieri à Magis , sæpius ex Procesibus Sagarum fuit observatum . Sic  
Nicol. Remig. in *Traçt. de demonolatria* l. i. c. 21. incipit : *Et malo dæ-  
moni* , plurima adferat exempla quibus docet , magos non solum imbræ ,  
pluvias , grandines , tonitrua & fulgura excitasse , sed etiam erucas ,  
bruchos , Locustas , ranas , bufones , mures , pediculos & id genus alias  
bestias fecisse , & in fruges immisisse , referente Berlich. P.4. *Concl. 3.n.  
30.* Consentit Balduin. l. 3. *Cas. Consc. c.5.* *Cas. 9.* ubi eleganter demon-  
strat , cuius permisso hæc omnia à Sagis fieri possint . Idem defendit  
Binsfeld. *Theol. Doctor. ad l. 4.C. de Malef. & Mathem. qv. 9.*

XVI. Quantum igitur ad propositam quæstionem , distin-  
guendum erit , an justa fuerit inimicitia , an non : Si justa , quam nimi-  
tum Conductor sua culpa contraxit , damnum Locustarum erit condo-  
ctoris . *l. si merces. 23. §.4 ff. Locat.* ibique Gloss. verb. *inimicitias* , & l.  
*66. pr. ff. Solut. Marr.* ne alioquin Locator alieno odio prægravetur . *l.  
33. §. 1.C. de inoff. Testam. arg. can. 7. Caus. 6. qv. 6.* Neve alteri per al-  
terum iniqua conditio inferatur *l. 74. ff. de R. 7.* Sin injusta , ad quam non  
solum nullam ansam dedit Conductor , sed neque imposterum animū  
habet eam fœndi , æquum est , ut ipsi ideo exoneration mercedis fiat :  
Non quatenus fuere injustæ , sed quatenus damnum locustarum ob illas  
datum non potuit præcaveri , ut optime explicat Dn. D. Simon. in  
*Disput. ad l. si merces 25. ff. locat. tb. 30. & seqq. ipso Pres. habita.*

XVII. Licet vero priori etiam casu , ubi culpa conductoris con-  
tracta erat inimicitia , & ideo Locustis infestati agri , remittendam aliqui-  
velint

ED  
US.

velint pensionem , cum culpa hæc ex se non ordinata sit ad sterilitatem; quia tamen ordinata est moraliter ad hunc effectum , per canonem communem: quod quis per alium facit , ad minimum culpa sibi imputabili & omissionis , per se fecisse putandus , remissio hic locum non habebit. Etenim , verba sunt Molinæ de J. & J. Tr. 2. Disput. 495. num. 13. sufficiens ea culpa est, ut inde effectus ille sequatur, & quamvis conductor illam non ordinaverit ad eum effectum, vitare tamen illam debuit, ne inde effectus sequeretur, quare si non vitavit, indeque constat effectum illum esse sequutum , non debet id damno cedere Locatoris , sed conductoris. Add. Joh. Mascard. Vol. 2. Conclus. 997. n. 7. Dn. D. Simon, *diff. loc.*

XIX. Quarto requiritur, ut pernicies locustarum sit inconsueta L. 15. §. 2. Ibi: si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse ff. b. t. Quod si enim consuetæ locustæ essent in aliquo loco , ut de Africa referunt, de quo in Membro 2. tb. 3. non posset conductor ob illas mercedis remissionem petere. Nam sibi imputare debet, qui futurum illum eventum , quam loci illius status indicat, scit vel scire debet ( paria enim hæc sunt. l. 5. ff. sic cert. petat l. 19. & ibi Glos. ff. de R. J. l. 8. §. 1. ff. ad l. Aquil.) neque tamen de illo sibi prospicit arg. l. 9. §. 1. Ibi: quia hoc evenire posse ff. locat. l. 13. §. 6. ff. de damn. Infect. Frantz. ad tit. locat. n. 101. Lauterbach. ad 3. part. ff. or. tit. eod. §. 2. tb. 10. Vincent. Caroc. d. Tr. P. 3. n. 6 p. 301. Quod eosque LL. extundunt, ut ob hanc causam nequidem si damnum intolerabile sit aut omnes fructus à Locustis consumpti, remissionem concedant. L. 15. §. 2. ff. Locat. ubi tamen æquius cum B. Brunnen. ad d. l. 15. n. 10. arbitramur, conductorem supra damnum semenis amissi non gravare. Add. Ar. Pinell. ad l. 2. C. de Rescind. Vendit. P. 1. c. 3. n. 23. Dn. Struv. Exerc. 24. tb. 16.

XIX. Quintum requisitum erat, ne Colonus esset partarius, qui locustarum perniciem deducere vellet. Hic enim locius quasi dominus est, unde ex natura societatis & damnum & lucrum sine sua culpa contingens cum domino fundi partitur. l. 25. §. Apparet. 6. ff. Locat. L. cum duobus. §. 2. §. 3. & 4. ff. pro Socio. Pantschm. d. Tr. qv. 5. n. 13. Dn. Tabor. in Tr. Von der Land. Siedeley. c. 6. tot. Menoch. Conf. 669. n. 12. 13. & 14. Speckhan. Cent. 3. Clas. I. qv. 22. Franc. Card. Mantic. detac. & ambig. convent. L. 5. tit. 2. n. 29. & seqq. Quod præprimis obtinet, si nulla frumentorum quantitas , sed quota eorum. e. gr. dimidia pars, promissa. Adde Struv.

*Stryv. Exer. 24. tb. 5. num. 1. Dn. Lauterbach. d. D. 2. tb. 15.*

XX. Sextum & ultimum fuit, ne edacem Locustarum perni-  
ciem in se suscepit Conductor: Hoc enim factio frustra contra pa-  
ctum remissionem desiderat. *L. 9. §. 2. ff. Locat.* Quia facta dant Legem  
contractui *L. 23. ff. de R. J.* & si per se iniqua non sint, ad amissim sunt  
servanda, ne gratis videantur adjecta. *Petr. Nicol. Mozz. de Societ. in tit.*  
*de natural. Societ. n. 11. Gail. 2. obs. 23. n. 17.* Verum cum haec specialis  
receptio damni à Locustis dati raro aut nunquam in his locis fieri sole-  
at, si vero facta sit, dubium non occurrat, cur non sit servanda, poti-  
us videbimus, annon interdum tacite ad hoc damnum obligetur Con-  
ductor? circa hoc enim frequentiores in foro ventilantur contro-  
versia.

XXI. Hinc itaque primum se nobis offert quæstio: An con-  
ductor in genere casum fortuitum in se recipiens, vel generaliter omni-  
bus renuncians, videatur etiam de edaci Locustarum pernicie sensisse,  
sicque ad hanc teneatur? Antequam certi quid in proposita quæstio-  
ne statuamus, probè prius, qualis casus sit Locustarum perniciē, con-  
siderandum: Neque enim unius generis esse omnes casus, in aprico  
est. Aliter tamen ab his, aliter ab illis distinguuntur, ut hinc ex hac  
opinionum varietate multis tricis haec res sit involuta: Inde jam suis  
temporibus Salyetus Clariſſ. JCtus & Monarcha eximitus, prout  
commendatur a Raphael. Fulgos. in *Conf. 96. n. 3* non veritus est dicere  
*in l. 1. C. Commod. n. 10.* se in hac difficultate ad veritatem eligendam  
extremiscere.

XXII. Nos in variorum Dd. opinionibus recensendis nunc  
non erimus prolixī; Illud tamen monemus, minus commode distin-  
gui casus in solitos & insolitos: Non solum quia leges hanc distinctio-  
nem ignorant, sine quibus loqui erubescimus *Nov. 18. c. 5. Add. L. de*  
*precio. 8. ff. de public. act. L. 13. §. 3. ff. de Reb. dub.* sed etiam quia omnis  
casus fortuitus proprie & ordinarie est insolitus. *L. 78. in fin. ff. de Con-*  
*grat. Emt. Gloss. ad L. 8. C. Locat. Dn. D. Stryck. in Tr. de Jur. sens. diff.*  
*10. Cap. 7. num. 35.* Nam quicquid prævidere valeo, quod de caſu  
solito dicendum erat, illud non potest dici caſus. *Alexandr. L. 6. Conf. III.*  
*num. 4. Alciat. Conf. 157. n. 3. Socin. Vol. 123. n. 14.*

XXIII. Potius igitur juxta Corn. libr. 4. Conf. 12. distin-  
guimus caſus in *valde solitos* & *non ita insolitos.* Hi dicun-  
tur,

ED  
US  
IR

tur, qui à viro prudenti & diligentem possunt prævideri. Illi vero, qui verosimiliter à quovis viro prudenti cogitari non potuerint. Et ad hos, puta valde insolitos, pertinet, quando Dd. dicunt, casum insolitum à diligenti viro non posse prævideri, ut Jac. Menoch. *Conf. 671. num. 12.* aut præter cogitationem etiam prudentis viri eundem evenire, ut Alciat. *I. 8. Resp. 49. n. 4.* Jac. Philip. Port. *Conf. 133. n. 21.*

XXIV. Sed sic nihilominus adhuc dubium, qualesnam casus *valde*, quales non ita sint insoliti? Nos breviter totam hanc rem judicis arbitrio committimus, qui consideratis qualitatibus & circumstantiis estimabit, quis casus alio sit usitator aut frequentior. *Gloss. in L. 8. C. Locat. Ripa in Tr. de Pesten n. 103.* Menoch. *de A. J. Q. I. 2. cent. I. cas. 80. infin.* Zanger. *de Except. L. 3. c. 23. n. 13.* Mastrill. *dec. 299. num. 96.* Surd. *dec. 326. num. 53.* Rimin. *Conf. 40. n. 26.* Sic quod Bartol. habet in *I. Sejo. 10. §. 1. ff. de Ann. Legat.* Casum insolitum esse, qui vix millesimo anno semel contingit, quem Carpzov. *P. 2. c. 37. def. 17. & C. 26. def. 8.* insolitissimum dicit, add. Berrh. *Grav. lib. 2. Concl. 23. Confid. 4. n. 6.* illud pertinebit ad casum valde insolitum: Exempli enim loco certum tempus à Dd. ponitur, non restringendi ergo rem ipsam. Cravett. *Conf. 95. n. 2. infin.* Alexand. *Lib. 7. Conf. 102. num. 19.* Idem de aliis temporibus à Dd. definitis iudicium est.

XXV. Quantum nunc ad casum Locustarum, illum si in his regionibus contingat, ad casus valde insolitos referendum res ipsa, docet. Adeo enim rarus est, ut verosimiliter non potuerit à quovis viro pruti cogitari. Hinc Menoch. *de A. J. Q. I. 2. cent. I. Cas. 80. inf. ita* dicit: Eggo aliquando respondi, casum fuisse *valde insolitum* cum in Italianam advolavit innumera illa locustarum quantitas, quæ in hac regione visa est nunquam, vel si visa aliquando est, jam mille elapsis annis visa est. Et licet cogitari potuerit, de Locustis, *ut in I. Excepto. C. Locat.* nō tamen de tam ingenti quantitate, quam illa fuit, quæ advolvavit eo Anno 1542. Huc usque Menoch. *Add. Ripa d. Tr. n. 10.* Menoch. *Conf. 27. n. 18.* Magon. *dec. 67. n. 15.* De nostris quidni idem responderemus consulti? Idem quoque dicendum de Locustis quibus premebantur Aegyptii: dicit enim de his sacer Codex *Exod. 10. v. 14.* ita. *Und sie ließen sich niedert an allen Orten in Egypten / so sehr viel daß zuvor desgleichen nie gewesen ist, noch hin führt seyn wird.*

XXVI. Quo præsupposito facilis est decisio questionis in tb.  
21. præ-

21.

propositæ. Nimirum, non teneri conductorem, qui in genere omnibus casibus renunciat, de edacitate locustarum. Est enim hic casus valde insolitus, de quo nec in genere nec in specie cogitatum, & qui in imaginationem suscipientis verosimiliter non cecidit. Frantz. *ad ff. tit. Locat. n. 127.* Carpzov. *P. 2. c. 26. def. 8. in fin.* cum quo consentit Mev. de Pension. *n. 105. ibi.* Dan begeben sich dergleichen ohn vermutl. che Falle / so bey Menschen Gedanken nie für gefallen und also über die Maße ungewöhnlich wären / daß dero Beysorge man nicht hätte können tragen / weniger darauf die Gedanken richten / verblebet es der susception und renuncirtung unangesehen bey den gemeinen Rechten / und betrifft der Schaden den Colonum nicht. Quam sententiam ut communem & quam laudant Surd *dec. 326. num. 52.* Mastrill. *dec. 299.* Add. Ripa in *Tr. de Peste.* Tit. *de privileg. Contract.* *num. 97.*

XXVII. Et hoc eo usque procedit, ut quamvis aliquis jurato renunciasset omnibus omnino casibus, possit tamen adhuc deducere damnum Locustarum; Ipsum enim juramentum ad non cogitata non extenditur. Seraphin. *de privileg. Juram. Privil. 119. num. 2.* Adrian. Gylman. *Tom. 4. Symphorem. Part. I. Vot. 27. n. 120.* Nec obest, quod ejusmodi renunciatio jurata habeatur pro speciali. Bartol. *in Avth. Sacramenta puberum. C. si advers. vend.* Quia hoc in iis verum, de quibus verosimiliter vel in genere potuit cogitari. Vid. Dn.D. Stryck *in d. Tr. de jure sens. Diff. 10. Cap. 7. n. 6. & seqq.* quod de nostro casu dici nequit. Conf. Menoch. *Conf. 27. n. 18. & seqq.*

XXVIII. Idem dicendum putarem, si quis casus cogitatos & incogitatos in se suscepit e. gr. wolle alle Casus fortuitos ohne Unterscheid / sie hätten sich wohl ehe zugetragen / oder besgeben sich über alles denken und versehen / auf sich genommen haben. Nam & sic casus incogitati intelliguntur secundum praesentem statum, non autem de casibus qui etiam prudentissimum virum fallunt. Alciat. *Libr. 8. Resp. 49. n. 5.* Menoch. *Conf. 26. n. 19.* Add. Bald. *lib. 3. Conf. 247.* Mev. *d. l. n. 112.*

XXIX. Neque hactenus dictis contrariantur qui, conductorem generaliter renunciantem etiam de insolitis teneri contendunt, uti Imola *in c. 1. X. Comod.* Anton. Fabr. *in Cod. Sab. l. 4. tit. 4. def. 2.* Harprecht. *ad §. 5. J. de Locat. num. 15. & seqq.* Carpzov. *P. 2. c. 26. def.*

g. Struv. in Synt. Jur Civ. Ex. 24. tb. 17. Mev. d.l.n.76. Hi enim de iis casibus insolitis intelligendi, de quibus in genere fuit cogitatum, vel in specie à viro prudenti & diligenti potuit cogitari, quos in tb. 23. b. Memb. non adeo insolitos diximus, non etiam de casibus valde insolitis Add. Menoch. de A.J.Q. L.2. cent. I.c.80.n.6. & seqq. Id quod ipse Carp-zov. d.def. 8. n.7. indicare videtur, dum assertionem suam restringit ad easus non ita valde insolitos, excipit autem plane inusitatos & qui forte mille annis semel contingunt. Quod in foro quoque conscientia æquum esse, probat Valer. in diff. utriusque fori. verb. Locatio. differ. 6.

XXX. Sed queritur ulterius: Si casus nonnulli nominatim à Conductore in lege conductionis, den. Miehs, Contract, fuerint excepti. e. gr. Ausgenommen H̄gel / Geur / Wetterschaden / Miswachs / Krieg / Ungewitter / Raub / welches doch Gott gnädiglich verhüten wolle / de locustis vero nulla mentio facta, an nihilominus ob damnum ab his illatum penso sit remittenda? Et affirmandum id ipsum putamus: quia enim eadem, imo forte major subest æquitas & ratio, casus Locustarum non potest videri exclusus. Riminald. Cons. 517. num. 35. Surd. decif. 202. n.2. Paul. Paris. Vol. 2. Cons. 92. num. 64. Nam non diversitas casuum, sed ipsa ratio, quæ dicitur lex communis, quoad omnes casus attenditur. Riminald. Cons. 633. n. 67. & 68. Vincent. de Franch. decif. 651. num. 5.

XXXI. Sic itaque, quia damna belli ob expressam conventionem deducuntur, quidni etiam damna Locustarum, quæ idem causant impedimentum, quod bellum? Etenim contra ista animalcula, ne quicquid herbidum est absument, non minus dimicatur, quam si cum hostibus sit certandum, ut hujus rei magistra fuit experientia... Vid. Plin. Lib. II. Natur. Histor. cap. 29. Ita in Cyrenaica regione Lex est, ter anno debellandi Locustas: primò ova obterendo, deinde fructum, postremo adultas, referente Alex. ab Alexandr. dier. Genial. libr 5. cap. 5. In Cyprio insula venatum exeunt adversus ova indicto bello, & certo præmio in singulos sextarios constituto. Scaliger. de subtil. Ex. 192. num. 1. Quam ob rem non mirum, inquit Magon. in decif. florent. 67. num. 16. si edaces & devastantes appellantur, & illis resistentes, debellatores, quia in effectu idem operantur quod bellum; Nam si fructus & segetes tollunt, utique homines necare videntur, vid. Marta. digest. Noviss.

*Noviss. Tom. 3. de Remiss. Merced. Cap. 5. Add. Mev. de Pens. n. 82. & seqq.*  
Meichsner. Imper. Camer. decis. 6. n. 4. Libr. 4. & l. 2. dec. 6. n. 133. Pantzschm. d. Tr. qv. 12. n. 42. & seqq.

XXXII. Et hæc pro ratione instituti nostri sufficient de jure  
ob edacitatem Locustarum Conductoribus competente. Præter con-  
ductores etiam Emitoribus fructuum futurorum non nocet pernici-  
es Locustarum. Quemadmodum enim in multis, & fere plurimis passi-  
bus, Locatio cum Emitione convenit. *l. 2. ff. Locat.* Sic quoque in hoc.  
*Conf. Membr. 2. tb. 15.* Et habet Emio futurorum fructuum tacitam in  
se conditionem: *Si aliquid natum fuerit. l. Necessario. 8. ff. de contrab.*  
*Emt.* Ut adeo fructibus à Locustis consumptis tanquam non existen-  
te conditione, ipso jure emptio fiat nulla *l. 39. §. 1. de contrab. empt.*  
Pantzschm. *qu. 17. n. 98.*

XXXIII. Aliud obtinet in Emptore annitorum redditum, qui,  
ut ut maximam à locustis obtinuerit cladem, nullum tamē reclamante  
natura emtionis, relaxationem potest urgere. *Struv. in Synt. jur. Civ. Ex.*  
*27. tb. 60.* Videtur enim ejusmodi emtor emere facultatem exigendi  
redditus, quasi aleam. *Carptov. l. i. Resp. 107.* ubi præjudicis hæc firmat.  
Modo tamē cæteroquin ab hac emtione fraus absit & usuraria pravi-  
tas, de quo vid. *Reform. Polit. de Anno 1548. Tit. Von Wucherl. Con-*  
*tracten & de Anno 1577. Tit. 17. §. Und noch dem.*

XXXIV. Idem juris est in usufructuario, qui titulo oneroso si-  
bi usumfructum acquisivit. Nam nec hic propter edacem locustarum  
pernicie ulla gaudet relaxatione. *Natta Conf. 49. n. 24.* Quæ enim  
ratio est, quando dominium emitur, eadem quoq; est, quando pars ejus,  
sc. usumfructus emitur. *Pantzschm. d. 9v. 17. n. 43.* Et cum ad usufructua-  
rium statim dominium transferatur usumfructus. *l. 1. §. 3. ff. de usufruct.*  
*Accresc.* unde dominus appellatur in *l. 8. ff. de bon. autoritat. judico.*  
*poss.* omne quoque periculum, evenitus & adversa fortuna ipsius erit. *l.*  
*7. ff. de usufruct. l. 19. l. 36. §. fin. & l. 37. ff. eod.* *Pantzschm. qu. 18. n. 40.*  
& seqq.

XXXV. De Emphytevta disputatur: Annon huic propter per-  
nicie Locustarum remittendus canon? Posset hoc videri, argumento  
à Conductore desumpto, cui admodum similis est Emphytevta *§. 3. J. de*  
*Locat.* Verum hoc non obstante placet contrarium, cum ejusmodi  
perniciës non alterat calamitatem substantia fundi, cuius nomine pen-

sio debetur: Manet enim integer fundus; fructus vero tantum consumuntur, quorum periculum Emphytevtam, ut utilem dominum, manet l.i. C. de Jur. Emphytevt. Zof. ad ff. tit. Locat. n. 88. Neque obstat argumentum a Conductore desumptum, quia hoc non est perpetuum, cum separatam habeat naturam Emphyteusis à Locatione: In contractu namque locati pensio solvitur adæquata fructibus, quibus non perceptis, nō est quod exigatur pensio, seu merces eorum nomine præstanda; In contractu vero Emphytevtico Canon tantum solvitur in recognitio- nem dominii, non habita ratione quantitatis fructuum. L. 2. & fin. C. de Jur. Emphytevt. Zof. d.l. Gail. 2. Obs. 23. num. 25. Lanfranc. dec. 207. n. 2. Carpzov. P. 2. C. 38. def. 19. Harprecht. ad §. 3. J. de locat. n. 382. & seqq. Natt. Conf. 49. n. 7. ubi in terminis de damno à Locutis dato non deducendo ab Emphytevta responderet. Add. Idem in Conf. 312. Hunnius ad Treutl. Vol. 1. disput. 29. q. 23.

XXXVI. Unicum restat, coronidis loco hic subjiciendum: Num sc. princeps aliusve Magistratus, census debitaque tributa a subditis suis ejusmodi Locustarum damna atque infortunia passis posit ex- igere? Quod ob summam æquitatem omnino negamus, si damna fuerint gravia & intolerabilia; Quid enim tunc benignitati magis conve- nit, quam ut subditorum egestati pro qualitate læsionis Princeps affe- rat remedium, Deoque placentem impertiatur medelam Nov. 163. pr. Etenim hanc æquitatem inquit Ulpian. in l. 4. §. 1. ff. de Censib. debet admittere censor, ut officio ejus congruat, relevari eum, qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex causis non potuit. Add. l. 2. C. de Al- luv. Sebaſt. Medic. de Caſib. fortuit. P. 2. Q. 10. n. 48.

XXXVI. Huic æquitati accedit Principis interesse, quod in eo consitit, ut subditos habeat locupletes, qui necessitate imminente sum- ptibus idoneis subvenire possint Reipubl. l.i. C. de Secund. Nupt. Ad quod respiciens Theodoricus Rex Gothorum, relevavit pensionem Provincialibus: Vobis inquiens, hostili ferocitate vastatis, pro quali- tate lesionis per inductionem quartam relaxatam, agnoscite functionem tributariam, quia non gratulamur exigere, quod tristis solutor necit of- ferre. digna vox Principe. Laxavit & idem Rex Arelatensisbus fi- scalia tributa: quid enim, inquit, à domino agri exigas, quem cum non coluisse cognoscas, uti ex Caſiodor. Ep. 32. & Epistol. 42. lib. 3. refert Petr. Gregor. Tholosan. Synt. Jur. Vniv. L. 3. C. 8. §. 21. Add. Didac. Savedr. Symb.

*Symb. Polit. 67.* Quid, dicimus & nos cum eo, à Domino agri exigat  
Princeps, quem nihil ex agro ob locustarum perniciem percepisse co-  
gnoscit. Hinc durissima Tributorum exactio, quam Cæsar Chinensi-  
um Zungchin decrevit contra illos, qui tamen gravissimum perpesi e-  
rant Locustarum damnum, pessimum habuit exitum, de quo vid. P.  
Martin. Martini von Trient. in seiner historischen Beschreibung des  
Tarterischen Krieges in Sina. pag. m. 65. Alia exempla præterea,  
nobisq; plurimæ annonæ fecundos annos serio exopto, dicens  
pro Spiritus Sancti assistentia

H

S. D. G.



ED  
RS.  
LE


2





(X2618014)

Von



B.I.G.



476v.

Q. D. B. V.

1682, 26

3

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
EDACI LOCUSTA-  
RUM PERNICIE

AD

L. Excepto tempore. 18. C. d. Locat. & Cond.

QVAM

ANNUENTE DIVINA GRATIA

CONSENSU ET AUTORITATE

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRI VIADRINA

SUB PRÆSIDIO

Dn. JOACHIMI HOPPII. J. U. D.

IN AUDITORIO JCTORUM

DIE MARTII. ANNO M. DC. LXXXII.

Horis Consuetis

Publicæ Eruditorum disquisitioni subiectæ

GUSTAVUS MARTINI,

COTB. LUSAT.

AUTOR ET RESPONDENS

Edit. altera.

JENÆ, Typis Viduæ Mullerianæ.

